This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600016782U

LES CARTULAIRES

DE LA

PRÉVÔTÉ DE SAINT-MARTIN

A YPRES

PRÉCÉDÉS D'UNE ESQUISSE HISTORIQUE SUR LA PRÉVÔTÉ

PAR

E. FEYS

CHEVALIER DE L'ORDRE DE LÉOPOLD, DOCTEUR EN PHILOSOPHIE ET LETTRES, MEMBRE CORRESPONDANT DE L'ACADÉMIE HÉRALDIQUE ITALIENNE DE PISE, PROFESSEUR HONORAIRE D'ATHÉNÉE.

ET

A. NELIS

PROFESSEUR A L'ATHÉNÉE ROYAL DE BRUGES

TOME II

I. — LES CARTULAIRES DE SAINT-MARTIN

1102-1364.

BRUGES

IMPRIMERIE A. DE ZUTTERE-VAN KERSSCHAVER, VAL DES ROSES

1880

LES TROIS CARTULAIRES

DE L'ABBAYE DE SAINT-MARTIN

SAINT-MARTIN

A YPRES

ROOL. LIBR.
FOREIGN
PROSPECT

On trouvera avec le tome second et dernier :

Le titre définitif ; — l'introduction ; — la table des chartes ; — la table des noms de lieux et de personnes ; — un vocabulaire des mots difficiles ; — les planches, sceaux gravés etc.

BIBLIOTHÈQUE ROYALE
DE BELGIQUE
1880

BRUGES
1880

LES CARTULAIRES

DE LA PRÉVÔTÉ DE SAINT-MARTIN

A YPRES.

LES CARTULAIRES

DE LA

PRÉVÔTÉ DE SAINT-MARTIN

A YPRES

PRÉCÉDÉS D'UNE ESQUISSE HISTORIQUE SUR LA PRÉVÔTÉ

PAR

E. FEYS

CHEVALIER DE L'ORDRE DE LÉOPOLD, DOCTEUR EN PHILOSOPHIE ET LETTRES, MEMBRE CORRESPONDANT DE L'ACADEMIE HÉRALDIQUE ITALIENNE DE PISE, PROFESSEUR HONORAIRE D'ATHÉNEE

ET

A. NELIS

PROFESSEUR A L'ATHÉNER ROYAL DE BRUGES

TOME II

I. — LES CARTULAIRES DE SAINT-MARTIN
1102-1364.

BRUGES

IMPRIMERIE A. DE ZUTTERE-VAN KERSSCHAVER, VAL DES ROSES

1880

2047. d. 1b

LES TROIS CARTULAIRES

DE LA PREVOTÉ OU ABBAYE DE

SAINT-MARTIN

A YPRES

TOME PREMIER.

BODL: LIBR.
FOREIGN
PROGRESS

On recevra avec le tome second et dernier :

Le titre définitif ; -- l'introduction ; -- la table des chartes ; -- la table des noms de lieux et de personnes ; -- un vocabulaire des mots difficiles ; -- les planches, sceaux gravés etc.

SOCIÉTÉ D'ÉMULATION
FLANDRE
1839.

BRUGES
IMPRIMERIE DE ZUTTERE-VAN KERSSCHAVER
1880.

LES CARTULAIRES

DE LA PRÉVÔTÉ DE SAINT-MARTIN

A YPRES.

scopo Teruanensi consecrandum representent. Oleum infirmorum et oleum sacrum cum chrismate a sede episcopali accipiant. Si quis vero hanc nostram constitutionem infringere vel aliquid eorum que eidem ecclesie a fidelibus collata aut conferenda sunt injuste auferre presumpserit, excommunicationi subjaceat, et a communione corporis et sanguinis Domini alienus existat, donec ad satisfactionem veniat. Actum est hoc anno incarnationis dominice M°. C°. II°. indictione X^a^. kal. octobris, vigente papa Paschali, et Remensi metropolitano Manasse, regnante Philippo Francorum rege, Roberto comite Flandrie existente, presentibus ydoneis testibus : Alboldo Formozellensis ecclesie preposito, Rainaldo preposito Loensis ecclesie, Thoma tunc temporis Eversammensis ecclesie priori, Hugone.

Registrum Rubrum, fol. 108.

Sanderus, *Flandria Illustrata*, t. I, p. 355 (1re édition), et t. II, p. 322 (2e édition). — Miræus et Foppens, *Opera diplomatica*, t. II, p. 1149. — *Gallia christiana nova*, t. V, *instrum.*, col. 304. — M. Wauters, *Chartes et diplômes*, t. I, p. 702, signale à tort cette pièce dans l'*Inventaire des chartes de la ville d'Ypres* et dans les *Analectes yprois* de M. Diegerick.

Concernant les prêtres simoniaques d'Ypres, voir la citation adressée en janvier 1101 à Baudouin, chanoine d'Ypres, et à ses confrères par Lambert, évêque d'Arras, et la lettre du même Lambert au pape Pascal II, qui avait prononcé dans cette cause. Wauters, *Chartes et diplômes*, t. I, pp. 1 et 6.

2.

Prima confirmatio ordinis et ecclesie nostre et sancti Petri et appendiciorum de Obstal.

1104. 1er Avril. Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gerardo, Yprensis ecclesie abbati, et ejus fratribus in eadem sancti Martini ecclesia canonicam vitam professis eorumque successoribus in eadem observantia permansuris imperpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua dilatione complendum. Quia igitur vos, o filii in Christo karissimi, per divinam gratiam aspirati mores vestros sub regularis vite disciplina cohercere et communiter secundum sanctorum primam institutionem omnipotenti Domino deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu, unde etiam petitioni vestre benignitate debita impartimur assensum. Vite namque canonice ordinem quem professi estis presentis privilegii auctoritate firmamus, et ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere neve sine abbatis vel congregationis licentia de claustro discedere liceat interdicimus, et tam vos quam vestra omnia sedis apostolice protectione munimus. Vobis itaque vestrisque successoribus in eadem religione permansuris ea omnia perpetuo possidenda sancimus, que in presentiarum pro communis victus sustentatione possidere videmini, ecclesiam scilicet ipsam sancti Martini cum ecclesia sancti Petri ceterisque appendiciis suis, terram quam Alquerus et Guillelmus canonici conversionis sue tempore obtulerunt, terram quam Frumaldus

et Galterus milites soli dederunt, et terram que vulgo dicitur Obstal tam ab ipsis quam a ceteris parochianis ecclesie sancti Martini communiter contributam, et queque deinceps concessione pontificum, liberalitate principum vel oblatione fidelium juste et canonice poteritis adipisci, in ea perpetuo libertate mansura; que venerabilis confrater noster Johannes, Morinorum episcopus, privilegii sui constitutione firmavit. Obeunte te, nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astucia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris de suo vel de alieno, si oportuerit, secundum Dei timorem collegio sibi preesse providerint. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere ire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus [sit pax domini nostri Jhesu Christi (1)] quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Scriptum per manus Johannis, scriniarii regionarii et notarii sacri palacii. Datum Laterani, per manum Johannis, sancte romane ecclesie dyaconi cardinalis, kal. aprilis, indictione XI^a^. incarnationis dominice anno .M°. C°. IIII°. pontificatus autem domini Paschalis secundi pape itidem IIII°.

Registr. Rubrum, fol. 117.

3.

De tempore primi abbatis nostri privilegium comitis Roberti de terra juxta Obstal et infra curtem nostram quod sunt libera.

In nomine sancte et individue Trinitatis, notum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quia ego Robertus, Dei gratia comes Flandrensis, comitatum et omnia que ad jus meum pertinebant de hiis que dominus Gerardus, abbas ecclesie sancti Martini Yprensis, ejusque canonici infra eandem villam possidebant, eidem sancto super altare ipsius ob salutem anime mee et uxoris mee Clementie filiorumque meorum Balduini et Willelmi ac parentum meorum imperpetuum libere habenda tradidi, scilicet de terra que jacet juxta Obstal, et de terris quas Fromoldus prepositus ville et Stephanus atque Eilbodo theolonearius et Reimbertus filius Johannis necnon et Adelelmus textor prefate ecclesie contulerunt et quas ipsi canonici infra curtem suam sepibus inclusas continebant. Hec autem omnia prenominata ita ab omni exactione imperpetuum libera 1110-11. 27 Février.

(1) Mots omis dans le cartulaire.

esse volui ac sancto Martino dedi, quatinus preter abbatem Gerardum et ejus canonicos eorumque successores nec comes nec prepositus ville neque villicus nec quelibet persona quamlibet unquam in eis habeat potestatem. Predictus vero abbas Gerardus sacerdotali veste indutus me presente atque concedente excommunicavit omnes quicunque hoc donum quod feceram temptassent infringere, donec resipiscentes ad emendationem venirent. Actum est hoc anno dominice incarnationis M°. C°. X°. indictione tertia tertio kalendas martii et corroboratum astantibus et videntibus immo excommunicationem audientibus multis ydoneis testibus videlicet Falcardo quondam decano, Theoderico decano, Fromoldo Brugensi canonico, Hunone presbytero, Bertino comitis capellano, Fromoldo laico Yprensi preposito ac fratre ejus Teobaldo, Sygero eorum nepote, Rodulpho filio Balduini de Bolingesela, Teduino et Lamberto filiis Theduini, Waltero, Hildrico, Geroldo, Hezelone, Helmaro judicibus, Hugone filio Eilbodonis, Rainolfo, Sygero filio Rodulfi, Waltero filio Wigeri de Tuin, Alolfo filio Christiani de Valentianis, Waltero Colet de Cameraco et aliis quam multis clericis ac laicis.

Registr. Rubrum, fol. 101 *et en* vidimus, *Registr. Nigrum*, fol. 34 *et* 61.

Aux archives de la ville d'Ypres: copie du XIII[e] siècle sur parchemin; transcription dans le *Roodenboek*, fol. 82.

Warnkönig, *Flandrisches Staats und Rechts-Geschichte*, t. II, 1re partie, preuves, p. 157. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 319. — *Annales de la Société d'Émulation de Bruges*, 2e série, t. VII, p. 190 (date peu exacte). — Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 3 (analyse et texte de la fin).

4.

De donatione altaris de Rininghels, de Bousinghe et de Zutscotes.

1119. 14 Décemb. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Johannes, Dei miseratione Morinorum episcopus, notum esse volo omnibus successoribus meis cunctisque sancte matris ecclesie filiis quod in subjectis continetur. Pastoralis siquidem nos cura constringit ut commissis nobis gregibus geminam corporis et anime pastionem quanta valemus sollicitudine provideamus. Idcirco videntes ecclesiam sancti Martini Yprensis multis dispendiis onerari paucisque stipendiis relevari, altare de Rininghels et altare de Boesingha cum appendicia capella, que Sutscotes vocatur, precatu et consilio clericorum nostrorum ad sustentationem canonicorum in prefata ecclesia secundum regulam beati Augustini Domino militantium perpetuo possidenda canonice concessimus, hac spiritualis commodi conditione interposita, ut ejusdem ecclesie fratres plebes ipsarum ecclesiarum ad viam vite salubri ammonitione et frequenti predicatione perducere elaborent, et obitus mei ac successorum meorum anniversarios dies omni anno devote observent, salvis etiam redditibus nostris sinodalibus secundum usum Morinensis ecclesie singulis annis persolvendis. Et ut hec nostre largitionis donatio rata et inviolabilis futuris permaneret temporibus, hanc nostre contestationis cartulam conscribi

et sigillo nostro signari fecimus. Si quis ergo hanc nostram donationem temere infringere vel violare presumpserit, usque ad dignam satisfactionem anathemati subjaceat. Actum est hoc anno Verbi incarnati M°. C°. XIX°. indictione XIII^a. XIX°. kal. januarii hiis testibus: Herberto, Galtero archidyaconis Morinensibus; Everardo Cameracenci archydiacono, Alboldo Formozellensi, Hugone Eversammensi prepositis; Fulcardo Yprensi, Hugone Casletensi decanis; Bernardo Teruanensi, Galtero Furnensi, Hugone Mecinensi, Erenfrido Formozelensi canonicis; Folberto presbytero de Wulveringhem; Symone, Daniele et Warmundo clericis multisque aliis.

Registr. Rubrum, fol. 108.

Miræus et Foppens, *Opera diplomatica*, t. III, p. 637.

5.

Confirmatio archiepiscopi de omnibus predictis.

Radulphus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilecto filio Guillelmo, ec- 1120.
clesie sancti Martini Yprensis venerabili abbati, ejusque successoribus imperpetuum. Pie postulationi tue, karissime fili Guillelme, ecclesie Yprensis abba, et fratrum tuorum annuentes notum facimus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quod venerabilis confrater noster Johannes, Morinorum episcopus, ecclesiam sancti Martini in villa que dicitur Ypra sitam ad opus canonicorum secundum regulam beati Augustini viventium tradidit, eamque cum ecclesia beati Petri ceterisque appendiciis suis ab omni exactione, preter duos solidos singulis annis in synodo post pentecosten persolvendos, liberam esse concessit. Postea vero crescente numero fratrum, videns eandem ecclesiam multis dispendiis onerari, paucis stipendiis relevari, altare de Rininghels et altare de Boesinga cum appendicia capella, que Zutscotes vocatur, ad sustentationem fratrum libere imperpetuum possidenda contulit, salvis tamen redditibus synodalibus secundum usum Morinensis ecclesie singulis annis persolvendis. Quam etiam libertatem et donationem ydoneis testibus adhibitis suorum auctoritate privilegiorum confirmavit, ita ut, si quis eam infringere vel violare presumeret, usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subjaceret. Postmodum vero per litteras suas necnon et per dilectum communem filium nostrum Walterum, ecclesie sue archidyaconum, propensius exorare nos studuit ut eadem altaria predicte ecclesie nos quoque privilegii nostri astipulatione confirmaremus. Nos igitur justis petitionibus ipsius satisfacientes ipsam ecclesiam cum supradictis altaribus et ceteris omnibus que concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium juste et canonice ibidem collata vel conferenda sunt, in prefata libertate perpetuo mansura auctoritate Dei et contestatione presentis privilegii corroboramus. Si quis autem contra hanc constitutionem temere ire temptaverit, nisi congrua satisfactione emendaverit, excommunicationi subjaceat. Hujus itaque rei testes ydoneos adhibuimus. Signum Lisiardi, Suessionensis episcopi. Signum Willelmi, Chathalaunensis episcopi. S. Bartholomei, Laudunensis episcopi. S. Lamberti,

Noviomensis episcopi. S. Claranbaldi, Silvanectensis episcopi. S. Engelramni, Ambianensis episcopi. S. Burchardi, Cameracensis episcopi. S. Erbali prepositi; Nicolai Remensis, Anselmi, Radulphi, Johannis Cameracensium, Drogonis Atrebatensis, Symonis Ambianensis, Walteri Teruanensis archidyaconorum. S. Odonis sancti Remigii, Gaufridi sancti Theoderici, Joramni sancti Nichasii, Ursionis sancti Dyonisii Remensis abbatum. S. Alvisi Acquicinensis, Henrici montis sancti Quintini itidem abbatum. S. Loiffridi decani. S. magistri Alberici. Signum Leonis, S. Simonis, S. Gerardi canonicorum sancte Marie Remensis. Signum Roberti Monasteriolensis, Teruanensis ecclesie canonici. Actum Remis anno incarnati Verbi M°. C°. XX°. indictione XI^a^. regnante gloriosissimo rege Francorum Ludovico anno duodecimo, archyepiscopatus autem nostri anno XIII°. Fulcrardus cancellarius recognovit scripsit et subscripsit.

Registr. Rubrum, fol. 109.

Miræus et Foppens, *Opera diplomatica*, t. III, p. 667.

6.

Confirmatio pape de omnibus bonis et de altaribus Yprensibus et de Rininghels et de Boesinghe et de Zutscoten.

1123. 29 Nov. Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ylfrido, Yprensis ecclesie preposito, salutem et apostolicam benedictionem. Quecumque bona, quecumque predia ab ecclesiis et viris ecclesiasticis legaliter possidentur, firma semper debent stabilitate persistere. Quecumque igitur possessiones vel episcoporum concessione collate, vel bonorum virorum oblatione donate, vel per tuam seu antecessorum tuorum industriam Yprensi ecclesie parate sunt, firmas censemus eidem ecclesie illibatasque servari: ecclesias scilicet sancti Martini et sancti Petri Yprensium cum appendiciis suis; altare de Rininghels, altare de Boesingha, cum appendicia capella de Zutscota cum omnibus pertinentiis eorum, salva Teruanensis episcopi reverentia; terram que jacet juxta Obstal, terram quam dedit Fromoldus, prepositus ville; terras etiam quas Stephanus atque Eilbodo tolenarius et Lambertus filius Johannis, necnon et Adelelmus textor prefate ecclesie contulerunt; terram etiam que infra curtem canonicorum continetur, ab omni quorumlibet hominum actione vel donatione liberas; terras etiam et omnes mansiones quas in villa Yprensi et in aliis villis Boesinga scilicet, Bertina, Boesinghem, Paschendala vel ubicumque vestra ecclesia legitime possidet. Si qua preterea in futurum eidem ecclesie a fidelibus viris de suo jure offerri contigerit, presenti pagina corroborata firma semper stabilitate serventur, clericorum et pauperum usibus profutura. Datum apud sanctum Flavianum, III°. kalendas decembris indictione secunda.

Registr. Rubrum, fol. 118.

7.

Privilegium Karoli comitis de comitatu et omni jure suo in terris infrascriptis et de decima parte terre Porcerum infra parochiam de Marc, de Rosebeke et de Paschendale.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quia ego Karolus, Dei gratia comes Flandrensis, comitatum et omnia que ad jus meum pertinebant de terra quam dominus Hiltfridus, abbas ecclesie beati Martini Yprensis, ejusque canonici auxilio mei a Bertrada Elbodonis vidua ejusque filiis emerunt, eidem sancto super altare ipsius, ob salutem anime mee et uxoris mee Margarete ac Baldewini nepotis mei parentumque meorum, imperpetuum libere habenda tradidi. Hanc autem prenominatam terram ita ab omni exactione imperpetuum liberam esse volui ac sancto Martino dedi, quatinus preter abbatem H. et ejus canonicos eorumque successores nec comes nec prepositus ville neque villicus nec quelibet persona quamlibet unquam in ea habeat potestatem. Partem quoque decime de terra Porcorum intra parochiam de Marc jacentem, in confinio de Paschendale et Rosebeca, rogatu Frumaldi, Yprensis castellani, amici mei eidem ecclesie concessi. Predictus vero abbas H. me presente atque concedente excommunicavit omnes, quicunque hoc donum quod feceram temptassent infringere, donec resipiscentes ad emendationem venirent. Actum est hoc anno dominice incarnationis M°. C°. XXIIII°., II°. nonas maii, et corroboratum astantibus multis ydoneis testibus, videlicet domino Ogero Audomarensi preposito; Salomone comitisse capellano, Waldrico, Godeberto, clericis; Frumaldo laico Yprensi preposito, ac fratre ejus Adam; Erlebaldo villico; Rogero milite, Ywaino de Was; Galtero de Nevala; Teduino, Erenberto, Alaino et aliis quam multis clericis ac laicis. 1124. 6 Mai.

Registr. Rubrum, fol. 101, *et en* vidimus *Registr. Nigrum*, fol. 36.

Archives de la ville d'Ypres: transcription au *Roodenboek*, fol. 83.
Warnkönig, *Flandrisches Geschichte*, t. II, 1e partie, preuves, p. 158. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 322. — Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 5 (analyse).

8.

Privilegium pape ne quis in nos et ecclesiam nostram sine causa rationabili et manifesta excommunicationem, suspensionem vel interdictum promulget.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. preposito et capitulo Yprensibus salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consue- 1126. 12 Juin.

vit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, sue protectionis munimine confovet. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, et ecclesiam in qua divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis in vos vel ecclesiam supradictam sine manifesta et rationabili causa, competenti etiam monitione premissa, excommunicationis aut interdicti vel suspensionis sententiam audeat promulgare, nisi excessus vester adeo fuerit difficilis et enormis, quod ordinem judiciarium non requirat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum, secundo ydus junii, pontificatus nostri anno secundo.

Registr. Rubrum, fol. 118.

Nous avons attribué cette pièce à Honorius II, parce qu'elle est transcrite entre une bulle de Calixte II et une bulle de Célestin III.

9.

Privilegium comitis Theoderici de terra quadam in parochia Formozellensi et Zellebeccensi sita omnino libera nobis tradita.

1132. In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Theodericus, Flandrensis Dei gratia comes, notum esse cupio omnibus, et presentibus et futuris, Hugonem quemdam, probitate sua tum mihi tum omnibus terre mee principibus notissimum atque karissimum, terram quamdam in parochia Formozalensi ac Zelebeccensi sitam, quam et a me et ab anterioribus comitibus jam diu tenuerat, michi reddidisse, meque eandem terram ob salutem anime mee, cum eodem ipso Hugone, ecclesie sancti Martini Yprensis super altare ejusdem sancti patris perpetuo jure possidendam tradidisse, ita sane liberam, ut non comes, non castellanus, non villicus, non quelibet secularis potestas aliquod prorsus in ea habeat jus. Ipsius autem ecclesie abbas Hiltfridus, me presente et volente, excommunicavit omnes quicumque idem donum temptassent violare, donec satisfacerent. Actum est hoc anno dominice incarnationis M°. C°. XXX°. II°. indictione decima, et hiis testibus corroboratum: Iwaino de Alost, Anselmo Yprensi castellano, Balduino de Walnis, Lamberto de Riddervord, Theobaldo de Harlebeke, Oliverio et Elbodone de Bundus, Arnulpho camerario et Inghelrammo fratre ejus, Erlebaldo preposito et Theoderico monetario et aliis.

Registr. Rubrum, fol. 101.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V. p. 324.

10.

Hic incipit de Templariis et de eorum capella. Littera domini archiepiscopi.

R(ainaldus), Dei gratia Remorum archiepiscopus, karissimo fratri M(iloni), Morinensis ecclesie venerabili episcopo, salutem. In conventu nuper Remis habito, communi consilio et assensu venerabilium confratrum nostrorum episcoporum, abbatis Clarevallensis et multarum religiosarum personarum statuimus et confirmavimus, quod in Yprensi capella in loco sita, qui dicitur Obstal, singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus, missarum sollempnia celebrentur; et quicquid in illis octo diebus ibidem oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani erit. Alio autem tempore nequaquam ibidem divina celebrabuntur, nisi per canonicos ecclesie beati Martini Yprensis. Volumus autem et rogamus caritatem vestram, quatinus hoc statutum nostrum firmum et illibatum conservetis, ac episcopali auctoritate irrefragabiliter futuris temporibus observari faciatis. Valete et c^{a}. 1131.

Registr. Rubrum, fol. 20.

La mention du récent concile de Reims, qui eut lieu le 19 octobre 1131, permet de fixer l'époque de cette pièce à la fin de la même annee ou au commencement de la suivante.

11.

Littera super eodem episcopi Morinensis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Milo, Dei gratia Morinorum episcopus, juxta quod venerabilis Rainaldus, Remorum archyepiscopus, cum consilio religiosorum virorum Gaufridi scilicet Carnotensis episcopi, Alvisi Attrebatensis, Goislani Suessionensis, Bartholomei Laudunensis, Gauffridi Catalaunensis, Bernardi, abbatis Clarevallensis, aliorumque multorum in colloquio Remis habito definivit ac statuit, michique (1) etiam litteris suis mandavit, Dei auctoritate et nostra capitulique Teruanensis, statuo et confirmo ut milites templi in capella que sita est Ypre, in loco qui dicitur Obstal, nichil amplius habeant quam tres dies rogationum et quinque dies continue sequentes; scilicet ut hiis octo diebus divina ibi celebrentur, et quicquid hiis diebus ibi oblatum fuerit, illorum sit; quod et ipsi coram archiepiscopo ceteris[que] personis laudaverunt, litterisque fratribus suis Ypre directis sibi sufficere testati sunt. Ecclesia vero Yprensis libertatem suam antiquam absque aliquâ diminutione optineat. Si quis itaque hanc institutionem nostram infringere presumpserit, excommunicationi subjaceat, 1132.

(1) Ms. nichilque.

donec resipiscat et ecclesie satisfaciat. Actum est hoc anno dominice incarnationis M°. C°. XXX°. II°. indictione X^a^. coram hiis testibus: Hartberto archidiacono, Luca archidiacono, Galtero custode, Philippo cantore, aliisque ejusdem ecclesie canonicis, Hugone Casletensi decano, Thoma Furnensi decano; Balduino decano de Helefelt, Balduino de Bavinchova, aliisque multis.

Registr. Rubrum, fol. 20.

12.

Confirmatio pape super capella de Obstal.

1134-37. 24 Février. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Miloni, Morinensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Statuta fratrum nostrorum sicut injusta et irrationabilia nos convenit apostolica auctoritate corrigere, ita nichilominus debemus bene gesta (1) firmare. Ideoque, frater in Christo karissime Milo episcope, tuis postulationibus impertimur assensum, et quod a venerabilibus fratribus nostris, Reinaldo Remensi archiepiscopo, Guosleno Suessionensi, Gaufrido Carnotensi, Bartholomeo Laudunensi, Gaufrido Cathalaunensi, Alviso Atrebatensi episcopis, et multis religiosis viris qui convenerant de Yprensi capella in loco qui Obstal dicitur sita, rationabiliter statutum est, presentis scripti pagina confirmamus: ut videlicet singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus in eadem capella missarum sollempnia celebrentur, et quicquid in illis octo diebus ibidem oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani usibus cedat. Alio vero tempore nequaquam inibi divina officia celebrentur, nisi per canonicos beati Martini Yprensis. Preterea libertates, consuetudines ac possessiones juste per beate memorie Paschalem papam, predecessorem nostrum, et Johannem bone recordationis, Morinensem episcopum, eidem ecclesie confirmate, presentis decreti maneant auctoritate subnixe. Datum Pisis, sexto kalendas martii.

Registr. Rubrum, fol. 22.

Cette pièce doit avoir été écrite de 1134 à 1137, époque pendant laquelle les lettres d'Innocent II sont généralement datées de Pise.

13.

Confirmatio Innocentii II super ecclesiis omnibus Yprensibus et de Boesinghe et de Zutscote et super quibusdam terris specialibus et de Obstal et contra Templarios.

1138. 23 Mars. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Aelmaro, abbati Yprensis ecclesie, que in Morinensi episcopatu sita est, ejusque successoribus regulariter

(1) Ms. gestas.

substituendis imperpetuum. Pie postulatio voluntatis debet effectu prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Per hoc noster famulatus Domino gratus impenditur, et puritas religionis ex caritatis radice procedens honeste conversandi prebet universis exemplum. Ideoque, dilecte in Domino fili Aelmare abbas, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus [et] Yprensem ecclesiam, cui auctore Domino presides, apostolice sedis privilegio communimus. Statuimus enim, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis auxiliante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis nominibus duximus annotanda: omnes parochias Yprenses, altaria beati Martini et sancti Petri et sancti Jacobi, altare de Boesinghe et ea que ecclesia Yprensis in eadem villa possidet, altare de Zutscoten cum hiis que canonicorum Yprensium sunt in eadem villa, altare de Rininghels cum hiis que in eadem villa ecclesia vestra possidet, terram seu possessionem a Waltero, fratre Herberti archidiaconi, et Hugone Fisceo (1) eidem ecclesie traditam, terram quam vestra ecclesia a Gualtero Ranolphi filio emit, terram de Market quam frater vester Zigardus vobis contulit, terram de Passchendala quam frater vester Reingerus vobis contulit. Obeunte vero te, nunc ejusdem ecclesie vel loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astucia vel violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini regulam de eodem collegio sive de alio, si, quod quidem absit, in eodem ydoneus repertus non fuerit, providerit eligendum. Electus autem a diocesano episcopo absque pravitate aliqua benedicatur. Adjicimus etiam pro communi parochie interdicto ecclesia ipsa (2) a divinis non vacet officiis, sed januis clausis et exclusis excommunicatis et interdictis, submissa voce omnipotenti Domino officia persolvantur. Preterea quod a venerabilibus fratribus nostris Reinaldo Remensi archiepisco, Guoesleno Suessionensi, Gaufrido Carnotensi, Bartholomeo Laudunensi, Gaufrido Cathalaunensi, Alviso Atrebatensi episcopis, et multis religiosis viris, qui convenerant de Yprensi capella in loco qui dicitur Obstal sita, rationabiliter statutum est, presentis scripti pagina confirmamus, ut videlicet singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus, in eadem capella missarum sollempnia celebrentur, et quicquid in illis octo tantummodo diebus oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani usibus cedat. Alio vero tempore nequaquam inibi divina officia celebrentur, nisi per canonicos beati Martini Yprensis. Ad hec libertas, consuetudines ac possessiones juste per beate memorie Paschalem papam, predecessorem nostrum, et Johannem bone memorie et recordationis, Morinensem episcopum, eidem ecclesie confirmate presentis de-

(1) Ms. ficeos. — (2) Ms. ecclesiam ipsam. Le texte, du reste, paraît ici altéré.

creti maneant auctoritate subnixe. Nulli ergo omnino hominum fas sit eamdem ecclesiam temere perturbare, aut possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur vestris ac pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere attemptaverit, secundo tertiove commonita si non congrue satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemtoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, et in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum Laterani, per manum Americi, sancte Romane ecclesie dyaconi cardinalis et cancellarii, X°. kal. aprilis, indictione II^a^. incarnationis dominice anno M°. C°. XXX°. VIII°. pontificatus domini Innocentii pape secundi anno decimo.

Registr. Rubrum, fol. 136.

14.

Confirmatio comitis Theoderici de omnibus que tenuimus tam in scabinatu quam in aliis.

1147. Quoniam generationum decessione ac successione rerum gestarum memoria interit, litterarum apicibus, quibus nil memorie fidelius servit, tam presentibus quam futuris memorandum relinquere congruum duximus, quia ego Theodericus, divina permissione Flandrensis comes, cum glorioso Francorum rege Lodevico Iherosolimam profecturus, Helmaro, Yprensis ecclesie venerabili preposito, quecumque predecessores ejus a predecessoribus meis jura sive consuetudines, tam in scabinatu quam in ceteris, omni exactione exclusa tenuerunt, ob remedium anime mee et uxoris mee Sibilie concessi. Signum domini Milonis Morinorum episcopi. S. Bernardi Clarevallensis abbatis. S. Walteri Gonella. S. Gilleberti Bergensis. S. Walteri Audomarensis castellani.

Registr. Rubrum, fol. 102.

Pitra, *Documents sur un voyage de saint Bernard en Flandre*. — Migne, *Sancti Bernardi, abbatis Claræ Vallensis, opera omnia*, t. IV, col. 1826. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 325. L'auteur y indique 1147 comme la date probable de cette charte. — Cf. Wauters, *Chartes et diplômes*, t. I, pp. 265 et 729, suivant ce dernier, la date pourrait être 1146.

15.

Hic de mansura Theodewini et ejus uxoris in foro.

Vers 1147. Notum sit tam presentibus quam futuris, quod ego Theodewinus et uxor mea Mabilia mansuram meam in foro jacentem, pro nostra et antecessorum nostrorum

salute, ecclesie sancti Martini in usus fratrum Deo ibidem servientium voluntate spontanea contulimus, astante domino Milone archydiacono et ejus capellano Arnaldo, Helmaro ejusdem ecclesie preposito cum hiis subscriptis personis: Elbodone decano, Gerardo presbytero de Poperinga, Christiano presbytero, Richardo, Balduino presbyteris; laicis Waltero Orscamp, Salomone filio Raffanoldi, Godescalco de Foro, Gerardo Archeda. Si quis ecclesie de hoc dono minuari presumserit, ego Milo archidiaconus cum supradictis presbyteris divina auctoritate excommunicavi. Sciendum preterea quod Willelmus, frater prefati Theodewini, cui mansure emptio, si venalis fuisset, jure hereditario proximo loco cessisset, coram legitimis testibus id juris quod in ea habebat pro anima sua ecclesie concessit. Nec tacendum quod, me Milone et supra nominatis personis presentibus, mansuram predictam contra fratrem suum Theodewinum Theodewinus se liberaturum etiam in elemosinam cum uxore sua concessit.

Registr. Rubrum, fol. 47.

La date que nous mettons à cette pièce, n'est qu'approximative. En 1147 Helmar était prévôt de Saint-Martin, et Milon archidiacre de Térouane.

16.

Hic incipiunt de Calone. Littera episcopi Attrebatensis super concessione altaris de Calone et confirmatione ejusdem coram capitulo suo et aliis multis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Ego Alvisus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, devotis peticionibus tuis et ecclesie cui preesse dinosceris satisfaciens, dilectissime frater Helmare, venerabilis abbas congregationis beati Martini Yprensis, pro anime nostre nostrorumque predecessorum bone memorie Lamberti et Rotberti salute, tibi [et] tuis successoribus sub regula sancti Augustini Deo militantibus altare de Calona non solum concedimus, verum etiam qua presidemus auctoritate liberaliter in perpetuum confirmamus; salvo in omnibus Atrebatensis episcopi jure et ministrorum ejus. Si quis autem post hanc meam diffinicionem manu sacrilega ab ecclesia cui Deo disponente annuimus auferre temptaverit, cum Simone mago anathema sit. Nos siquidem hujus pagine auctoritatem ratam et inconvulsam permanere volentes, in presentia nostri capituli et subscriptorum testium eam consignavimus. S. domini Luce Atrebatensis archidiaconi. S. Hugonis Ostrevandi archidiaconi. S. Nicholai decani. S. Ancelli cantoris. S. Frumoldi scolastici. S. Rollandi sacerdotis. S. Adam diaconi. Ego Alvisus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, hoc libertatis donativum relegi, subscripsi et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti propria manu confirmavi †. Actum Atrebati, anno domini Christi M°. C°. XL°. VII°. indictione X^a^. anno vero pontificatus domini Atrebatensis episcopi XVI°. 1147.

Registr. Rubrum, fol. 84.

17.

Confirmatio domini archiepiscopi Remensis super altare et bonis nostris de Calone.

1147. In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Sanson, divina miseratione Remorum archiepiscopus, universis sancte ecclesie filiis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quia ex injuncto nobis officio justis peticionibus deesse non possumus, idcirco, fili Elmare, tuis peticionibus et congregationis beati Martini Yprensis sub regula beati Augustini ibidem Deo militantis debita pietate annuentes, altare de Calona a karissimo fratre et coepiscopo nostro Alviso Attrebatensi pro remedio anime sue et predecessorum suorum tibi collatum nos presentis decreti pagina tibi et ecclesie Yprensi perpetuo tenendum firmamus. Decernimus etiam quod quecumque bona predictum altare hactenus in pace possedit, de cetero cum omni tranquillitate possideat. Et ne aliqua ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostre institutionis seriem venire presumat, manus nostre impressione et probabilium personarum attestatione eam corroborari fecimus. Hujus confirmationis testes sunt Boso et Bartholomeus archidiaconi; Leo decanus; Gregorius cantor; Henricus, Petrus et Rogerus presbyterorum; Joffridus, Guidricius et Matheus diaconorum; Guido, Rogerus et Boso subdiaconorum. Actum Remis, anno incarnati Verbi M°. C°. XL°. VII°. indictione X^a^. regnante gloriosissimo Francorum rege Ludovico anno X°. archiepiscopatus autem domini Sansonis anno VIII°. Drogo cancellarius recognovit, scripsit et subscripsit.

Registr. Rubrum, fol. 85.

18.

Confirmatio pape super altare de Calone [et] contra Templarios.

1148. 9 Mars. Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Hilmaro, abbati sancti Martini Yprensis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis, cui divina largiente gratia presidemus, nos auctoritas admonet pro singularum ecclesiarum statu esse sollicitos, et earum utilitati auctoritatis nostre solatium exhibere. Eapropter, dilecte in Domino fili Hilmare abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ne beneficia que prefate sancti Martini ecclesie concessa sunt, pravorum malignitate turbentur, scriptorum nostrorum volumus firmitate muniri. Ex litteris siquidem venerabilis fratris nostri Alvisi, Attrebatensis episcopi, ejusdem sigillo munitis perpendimus, quod idem episcopus altare de Calona libere tibi tuisque successoribus canonice substituendis pro anime sue et predecessorum suorum salute concessit, salvo tamen jure Atrebatensis episcopi et ministrorum ejus. Quam concessionem nos apostolice sedis

auctoritate firmamus et ratam manere decernimus. Preterea quod a venerabilibus fratribus nostris Reinaldo Remensi archiepiscopo, Gosleno Suessionensi, Gaufrido Carnotensi, Bartholomeo Laudunensi, Gaufrido Catalaunensi, Alvise Atrebatensi episcopis et multis religiosis viris, qui in unum convenerant, de Yprensi capella in loco qui Absthal dicitur sita, rationabiliter statutum est, et a predecessore nostro beate memorie Innocentio papa postmodum confirmatum, nos presenti scripto nichilominus roboramus, ut videlicet singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus in eadem capella missarum sollempnia celebrentur, et quicquid in illis octo diebus ibidem oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani usibus cedat; alio vero tempore nequaquam ibi divina officia celebrentur, nisi per canonicos beati Martini Yprensis. Libertates quoque et juste consuetudines ac possessiones per beate memorie Paschalem papam, predecessorem nostrum, et Johannem bone recordationis, Morinensem episcopum, rationabiliter eidem ecclesie confirmate presenti decreti maneant auctoritate subnixe. Si quis autem hujus nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Remis VII°. idus marcii.

Registr. Rubrum, fol. 89.

Le pape Eugène III était à Reims en mars 1148; il y présida un concile.

19.

Super xxiiij. mensuris terre arabilis datis nobis.

Ego Milo, Dei gratia Morinorum episcopus, notam fieri volens conventionem tam presentibus quam futuris inter dominum Helmarum, Yprensem prepositum, et Baldwinum dictum de Calona ante nos factam, scripto eam commendari precepi. Siquidem ipse Baldwinus, concedente uxore sua Gilia, xxiiij. mensuras terre arabilis, quarum xij. sunt de terra Hildegerdis, alie ultra domum Helgoti juxta crucem in meridiana parte jacent, et unam mensuram prati, contiguam prato canonicorum, vallem etiam quandam inter molendinum B(aldwini) et curtim canonicorum Yprensium jacentem vivario aptam, quam etiam ad hoc opus sufficienter de sua aqua implere debet, Yprensis ecclesie fratribus in elemosinam libere dedit, pro salute anime sue et uxoris sue et antecessorum suorum, ea sola conditione interposita, ut duodecim denarios inde ei censualiter annuatim solvant. Hujus donationis testes sunt archidiaconi nostri Philippus et Milo, Hermannus decanus, Nicholaus cantor, Everardus et Odosardus et canonicus Balduinus de Millam, Balduinus Watinensis clerici nostri. 1148.

Registr. Rubrum, fol. 81.

La date de cet acte est déterminée par l'acte qui suit.

20.

Item super xxiiij. mensuris terre cum particula prati a parte orientis.

1148. Quoniam generatio preterit ac succedit, memorie autem rerum gestarum optime ministrant indicia litterarum, ego Milo, divina misericordia Morinorum episcopus, tam presentibus quam futuris notum facere congruum duxi, quod Baldewinus de Calona assensu uxoris ejus Gilie xxiiij. mensuras terre cum particula prati, quod a parte orientali habitationis canonicorum super Lisam jacet, cumque integra bassera (1) inter curtem canonicorum et vivarium Baldewini jacente, Yprensi ecclesie perpetuo omnique calumpnia exclusa possidendas, nummos xij. annuatim censualiter recepturus, coram hominibus suis Helnardo de Pernas, Lamberto, Ingelrammo, Hugone Alcepth, Ernulfo molendinario, Helmaro eo tempore ecclesie prefate preposito et asstante donavit. Mensurarum autem que sub certo numero designate sunt, a parte australi domus Helgoti ultra crucem mensure fere viij°. jacent, de terra quoque, quam Heldegardis vidua excoluit, a parte australi domus Arnulfi Lupi iiij^{or}. paulo plus, apud Hulceram xij. Ut autem donatio pretaxata rata permaneret, tam Baldewini quam prepositi rogatu, nostri ac Baldewini impressione sigilli eam firmavimus. Si quis hanc donationem injuste calumpniari presumpserit, excommunicationi subjaceat et a communione corporis et sanguinis Domini alienus existat, donec ad satisfactionem veniat. Actum est hoc anno Domini M°. C°. XL°. VIII°.

Registr. Rubrum, fol. 81.

21.

Privilegium comitis Theoderici de vij. firtonibus redditus perpetui a castellano de Dixmuda nobis traditis.

1157. Noverint tam presentes quam futuri, quod ego Theodericus, Dei gratia Flandrensis comes, et comitissa una cum filio meo Philippo, Atrebati, cum peregrinationis iter aggressi essemus, cum aliis plerisque affuimus, ubi Jordanus, castellanus de Dixmudis, Yprensi ecclesie per manum meam ac Philippi septem firtonum redditus absque omni exactione imperpetuum jure hereditario possidendos assignavit; et ut rata foret assignatio, eam sigilli mei impressione corroboravit. Actum est hoc anno Domini M°. C°. L°. VII°. Testes: Milo Morinorum episcopus, Geraldus Tornacensium episcopus, abbas de sancto Bertino, Desiderius Insulanus prepositus, Robertus Ariensis prepositus, abbas de sancto Amando, Rogerus

---

(1) L'acte qui précède explique le mot *bassera* par *vallis ad vivarium apta*, c'est donc un terrain bas et enfoncé. Du Cange: *baisa, baissa, bessatum*, lieu bas et marécageux, rempli de broussailles; *lessæ*, pâturages; *bassura*, enfoncement.

castellanus Curtracensis, Galterus Formozellensis, Galterus Duacensis castellanus, Arnaldus de Rupelmunda, Gilelmus de Paschendala, Joseph de Dixmudis, Volcraven filius ejus, Lambertus de Jathbeka.

Registr. Rubrum, fol. 102.

22.

Privilegium ac confirmatio archiepiscopi de altari de Calone et contra Templarios.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. 1164.
Ego Henricus, divina miseratione Remorum archiepiscopus, tam futuris quam presentibus in perpetuum. Officii pastoralis nos hortatur auctoritas pro statu ecclesiarum sollicitos esse, et earum utilitati ac paci paterna sollicitudine providere. Eapropter, dilecte in Domino fili Balduine abbas, justis peticionibus tuis annuentes altare de Calona, pie recordationis patris nostri domini Eugenii pape auctoritate tibi tuisque successoribus canonice substituendis confirmatum, et nos metropolitane sedis auctoritate confirmamus. Preterea, quod a predecessore nostro Rainaldo bone memorie, Remensium archiepiscopo, et venerabilibus fratribus nostris Gosleno Suessionensi, Gaufrido Carnotensi, Bartholomeo Laudunensi, Gaufrido Cathalaunensi, Alviso Atrebatensi episcopis et multis religiosis viris de Yprensi capella in loco, qui dicitur Upsthal, sita rationabiliter statutum est, et a predicto patre nostro papa Eugenio postmodum confirmatum, nos presenti scripto nichilominus roboramus et imaginis nostre impressione et probabilium personarum attestatione communimus: ut videlicet singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus in eadem capella missarum sollempnia celebrentur, et quicquid octo diebus ibidem oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani usibus cedat. Alio vero tempore nequaquam ibi divina officia celebrentur, nisi per canonicos beati Martini Yprensis. Si quis autem hujus nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, omnipotentis Dei indignationem et nostram se noverit incursurum offensam. Signum Henrici abbatis Quintini Belvacensis. S. Manasse abbatis de Fresmonte. S. Drogonis prepositi. S. Leonis decani. S. Bosonis archidiaconi. S. Gregorii cantoris. S. Petri et Gualteri presbiterorum. S. magistri Fulconis et Stephani diaconorum. S. Milonis et Nicholai subdiaconorum. Actum anno incarnati Verbi millesimo C°. LX°. IIII°. indictione XII^a^. regnante piissimo rege Francorum Ludovico anno XX°. VII°. archiepiscopatus autem nostri anno III°.

Registr. Rubrum, fol. 81.

23.

Confirmatio pape super eodem.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Balduino, abbati 1164.
sancti Martini Yprensis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis, 28 Octobre.

cui divina gratia largiente presidemus, nos auctoritas ammonet pro singularum ecclesiarum statu esse sollicitos, et earum utilitati auctoritatis nostre solatium exhibere. Eapropter, dilecte in Domino fili Balduine abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ne beneficia, que prefate ecclesie sancti Martini concessa sunt, pravorum malignitate turbentur, scriptorum nostrorum volumus firmitate muniri. Ex litteris si quidem Alvisi, quondam Atrebatensis episcopi, ejusdem sigillo munitis predecessor noster sancte recordationis Eugenius papa perpendit, quod idem episcopus altare de Calona libere tibi tuisque successoribus canonice substituendis pro anime sue et predecessorum suorum salute concessit, salvo tamen jure Attrebatensis episcopi et ministrorum ejus. Quam concessionem nos apostolice sedis auctoritate firmamus et ratam manere decernimus. Preterea quod a R(ainaldo) quondam Remensi archiepiscopo, Gosleno Suessionensi, Gaufrido Carnotensi, Bartholomeo Laudunensi, Gaufrido Catalaunensi, Alviso Atrebatensi episcopis et multis religiosis viris, qui in unum convenerant, de Yprensi capella in loco, qui Upstal dicitur, sita rationabiliter statutum est, et a predecessoribus nostris bone memorie Innocentio et Eugenio, Romanis pontificibus, postmodum confirmatum, nos presenti scripto nichilominus confirmamus: ut videlicet singulis annis tribus diebus rogationum et quinque aliis diebus continue sequentibus in eadem capella missarum sollempnia celebrentur, et quidquid in illis octo diebus ibidem oblatum fuerit, militum templi Ierosolimitani usibus cedat. Alio vero tempore nequaquam ibi divina officia celebrentur, nisi per canonicos sancti Martini Yprensis. Libertates quoque et juste consuetudines ac possessiones per beate memorie Paschalem papam, predecessorem nostrum, et Johannem bone recordationis, Morinensem episcopum, rationabiliter eidem ecclesie confirmate presentis decreti maneant auctoritate subnixe. Si quis autem hujus nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Senonis, quinto kalendas novembris.

Registr. Rubrum, fol. 23.

24.

Hic de duabus partibus decime de Zutscoten.

1166. In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen †. Ego Balduinus, Dei gratia Yprensis castellanus, notum esse volo tam presentibus quam futuris, quod Rogerus Gange, homo meus, duas partes decime de Zutscoten, quas de me in feodo tenebat, presentibus hominibus meis mihi libere reddidit, et quicquid in eis juris habebat omnino remisit, una cum uxore sua Adelisa et filiis suis Gisleberto et Gerardo. Ego vero post liberam redditionem Rogeri mihi in manu mea eandem decimam libere tenens, presente ipso et uxore ipsius filiisque suis superius memoratis et multis hominibus meis, ipsam decimam B(alduino), Yprensi preposito, et ecclesie sancti Martini in elemosinam dedi et perpetuo habendam

concessi ; hac conditione sola apposita, ut pro cognitione beneficii hujus michi singulis annis pellicium de pellibus agninis detur ab ecclesia ipsa. Ut autem hoc factum infringibile et inviolabile permaneat, litterarum mearum testimonio sigillique mei impressione confirmavi. Actum est anno incarnationis Domini millesimo centesimo LX°. VI°. indictione quindecima, epacta XVII^a^. concurrente V^to^. coram subsequentibus testibus: Erlebaldo precone, Arnaldo filio Hascheri, Obelino de Marc, Balduino de Heckhoute, Radulpho Laurino, Anselmo de Bevezlare, Frumaldo notario, Joseph dapifero, Galtero Vos, Hugone Stul, Eustacio filio Higgelberti et quam pluribus aliis.

Registr. Rubrum, fol. 46.

25.

Privilegium comitis Philippi de septem mensuris terre in Elverdinghe.

Ego Philippus, Dei gratia Flandrie et Viromandie comes, notum esse volo tam futuris quam presentibus, quod Oilardus de Elverdingha terram quandam circiter septem mensuras inter ecclesiam et plateam versus aquilonem jacentem in Elverdinga in feodum tenebat de Anselmo de Werkina, et eandem terram Anselmus prenominatus de Giselberto de Nivella, et Ghiselbertus de Nivella eam de me in feodum tenebat. Ad hoc tandem res devenit, quod prenominatus Oilardus Anselmo coram hominibus suis terram illam reddidit, et Anselmus similiter reddidit eam Ghiselberto coram hominibus suis, et similiter Ghiselbertus coram hominibus meis eam michi reddidit, et ego pro salute anime mee terram illam presbyteris decanie Yprensis in elemosinam concessi, ita quod ego frater et particeps beneficiorum et orationum eorum existerem, et ipsi terram illam imperpetuum libere possiderent. Quod ut ratum et indivulsum permaneat et vicissitudine temporum non infringatur, scripto commendare et sigilli mei auctoritate confirmare curavi, presentibus istis: Petro Cameracensi electo, Roberto sancti Audomari preposito, Eustacio camerario, Conone castellano de Brugis, Waltero de Einis, Balduino castellano de Ypra, Giselberto de Nivella, Henrico de Morsletha, Waltero Gonela et multis aliis... Actum hoc anno M°. C°. LX°. VIII°. dominica ante Marci evangeliste, Windale in curia comitis Philippi. 1168. 21 Avril.

Registr. Rubrum, fol. 104.

26.

De centum solidis annui redditus super wastinam, privilegium comitis Philippi, et de capella comitis.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Ph[ilippus], Dei gratia comes Flandrie et Viromandie, notum esse volo tam presentibus quam futuris, quod cum Ypre in domo mea capellam edificari fecerim, juri ecclesie beati Martini Yprensis nullatenus derogare volens, capellam ipsam eidem ecclesie beati Martini Vers 1168.

imperpetuum donavi, hoc tenore, ut prepositus predicte ecclesie de canonicis suis sacerdotem provideat, qui in capella illa singulis diebus divina celebret officia. Cujus rei gratia, memorate ecclesie beati Martini centum solidos imperpetuum libere et integre possidendos donavi, quos super wastinam singulis annis in festo sancti Johannis persolvendos assignavi. Que ut rata habeantur atque inviolata postmodum conserventur, presentis pagine attestatione et sigilli mei impressione confirmavi, hiis testibus: Gerardo preposito Brugensi, Gerardo preposito Insulano, Riquardo Blauvoet, magistro Willelmo de Mecines, Balduino castellano Yprensi, Erlebaldo precone, Henrico de Paskendale, Galtero de Scoten.

Registr. Rubrum, fol. 104.

Imprimé dans les *Annales de la Société historique d'Ypres*, t. II, p. 182.

27.

De tribus rasiris avene et j. havoth super duas terre mensuras cujusdam Gerardi Manescin et uxoris sue Eve.

1170. Quoniam rerum memoria sine litterarum amminiculo facile evanescit, ego Rogerus, Dei gratia Yprensis prepositus, quod apud nos gestum cognovimus, posteris nostris in noticiam scripto transferre volumus. Anno siquidem incarnationis Domini M°. C°. LXX°. quidam Gerardus, Manescin cognominatus, ex consensu uxoris sue Eve, in honore Dei et beati Martini pro salute anime sue duas terre mensuras ad pietantiam Yprensium canonicorum in elemosina largitus est, tali scilicet conditione, quod tam ipse Gerardus quam ejus successores terram illam hereditario jure retinentes, singulis annis ante purificationem sancte Marie tres rasiras et unum havoth avene persolvant, canonicis ejusdem terre censum id est octo denarios comiti reddentibus. Si autem terra ipsa vel ex negligentia vel ex possessoris inopia aliquociens inculta remanserit, aut ejus possessor predictum debitum persolvere renuerit, sive persolvendi terminum irrationabiliter neglexerit, ipse, inquam, de jure canonicorum terre ipsius possessione privabitur, usquedum vel ipsemet vel alius in consanguinitate ei proximus eam pro simili debito recipiens, canonicos de redditu postmodum certos fecerit; et canonicis etiam ipsum assaizire licebit, quousque ipse eis, quod de preterito anno restabat, reddiderit et dampnum illius anni restauraverit. Preterea nec hoc silentio pretereundum fuit, quod prenominatum debitum nec a canonicis augeri nec a debitoribus diminui poterit, nisi consensus utrimque conveniens idipsum permutare utilius duxerit. Actum est autem hoc consentiente et approbante capitulo, astantibus etiam Galtero Camerlinc, Erlebaldo villico, Riquardo clerico, Gerardo villico, Symone villico; scabinis Godescalco Vulpe, Reinero, Riquardo, Eustacio, Lammino Juncbart, Rodulpho Hertoga, Oberto de Scachterwega, Alberto Stral, Lambino Strabone Amis.

Registr. Rubrum, fol. 48.

Note mise en marge du Ms.: *Hec littera cancellata est enormiter.*
Le texte a été quelque peu corrigé d'après la pièce qui suit.

28.

De tribus raseriis avene et j. havoth super duas terre mensuras cujusdam Alcheri et uxoris sue Heilewuf.

Quoniam rerum memoria sine litterarum amminiculo facile evanescit, ego Rogerus, Dei gratia Yprensis prepositus, quod apud nos gestum cognovimus, posteris nostris in noticiam scripto transferre volumus. Anno siquidem incarnationis Domini M°. C°. LXX°. quidam Alcherus, ex consensu uxoris sue Heilewuf, in honore Dei et beati Martini pro salute anime sue duas terre mensuras ad pietantiam Yprensium canonicorum in elemosina largitus est, tali scilicet conditione, quod tam ipse Alcherus quam ejus successores (*la suite mot pour mot comme dans la pièce précédente*) diminui poterit, nisi consensus utrimque conveniens idipsum permutare utilius duxerit. Actum est autem hoc consentiente capitulo et approbante, astantibus etiam Galtero Camerlinc et uxore ejus Eva, Erlebaldo villico, Joseph dapifero, Johanne custode, Riquardo clerico, Elyzeo clerico, Gerardo villico, Symone villico; scabinis Alwaldo, Reinero, Godescalco Vulpe, Riquardo, Eustacio, Lambino Junchart, Heinrico, Radulpho Hertoga, Oberto de Scachterwega, Alberto Stral, Lambino Strabone Amis. 1170.

Registr. Rubrum, fol. 48.

On lit en marge: *Hec item cancellata.*

29.

Privilegium comitis Philippi de duabus partibus decime de Zutscoten.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Ph[ilippus], Flandrie et Viromandie comes, volo ut constet et notum sit imperpetuum, quod prepositus Balduinus Yprensis ecclesie beati Martini duas partes decimationis de Sudscota a Rogero Gange legitime emerit, et prefate ecclesie hereditariam fecerit per manum Balduini de Balliolo, Yprensis videlicet castellani, a quo Rogerus eam jure feodali tenuerat, Mechinensi etiam abbatissa, a qua jus decimationis principaliter et primum descendit, cum universo conventu suo assensum prebente. Decimationem tamen hanc parentes Rogeri postea calumpniati sunt, et pecuniam offerentes quam predictus prepositus nomine Baldewinus dederat, eam repetierunt, eo quod, antequam venderetur, eis oblata non fuerat. Cum in hunc modum diu adversus ecclesiam contenderent, cuidam cognato suo Theoderico scilicet de Peleckem universum jus, quod in illa decimatione habebant, omnes concesserunt, et juris et proprietatis, quam adversus ecclesiam calumpniabantur, unanimi et spontaneo consensu eum unicum heredem in mei presentia omnes fecerunt. Theodericus itaque, proprietate decimationis quam parentes sui clamaverant sibi 1171.

tradita, causam quam ipsi adversus prepositum moverant eousque perduxit, quod Rogero, tunc temporis preposito, xxvj. marchas consensu et consilio capituli sui eidem donante, a querela quam adversus suam ecclesiam intenderat, destitit, et omne jus omnemque proprietatem quam in decimatione jam dicta habebat, ad opus ecclesie in manus meas resignavit. Ut eam vero securius et liberius ecclesia possideret, voluntaria donatione prenominati Theoderici in manus meas universo jure quod in ea clamaverat recepto, pro salute mea et predecessorum meorum ad honorem Dei et beati Martini ipsam decimam omni servitio emancipatam et omnium reclamantium jure absolutam ego pariter et uxor mea Elisabeth sepedicte ecclesie hereditarie imperpetuum liberrime possidendam donavimus, et in nostri presentia Rogerus, ejusdem ecclesie prepositus, omnes qui ecclesie super hac injurie postmodum inferre conarentur, anathematis vinculo astrinxit. Ne autem aliquis imposterum donationi nostre obviare et ecclesiam gravare presumeret, auctoritate sigilli mei et subscriptarum personarum testimonio donationem nostram confirmavi. Signum Roberti Turonensis thezaurarii Brugensis prepositi et Flandrie cancellarii, Guidonis capellani, Galteri Truncinensis abbatis, domini Haketh Brugensis decani, Roberti Albi Brugensis canonici, magistri Reginaldi, Joelis Ariensis canonici, magistri Herberti et Riquardi canonicorum Furnensium, Gerardi et Avis canonicorum Mechinensium; milites Gilbertus de Aria, Galterus filius Frumaldi castellani, Gerardus de Balliolo, Erlebaldus Yprensis villicus, Hermannus Ferreus, Henricus de Zinnebeka et Erlebaldus frater ejus, et alii quam plurimi clerici, milites, burgenses. Annus Domini M^{us}. C^{us}. LXX^{us}. I^{us}. indictio IIII^{a}.

Registr. Rubrum, fol. 103.

30.

De moro empto ab ecclesia de Rumtre; modo venditus est totus.

1176. In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Philippus, Dei gratia Flandrensium et Viromandensium comes, notum facio tam presentibus quam futuris, quod imperpetuum pro salute anime mee et patris ac matris mee et antecessorum meorum ecclesie sancte Marie de Rumtre (1) terre mori mensuras decem ab omni exactione liberrime possidendas cum libertate fodiendi quandocumque libet donavi. Hec autem terra sita est inter morum sancti Martini Yprensis et morum infirmorum Furnensium. Hoc igitur donum ut ratum et inconvulsum permaneat, presentis scripti attestatione et sigilli mei auctoritate confirmavi. Actum

(1) *Rumtra* ou *Rumetra* était d'abord une forêt solitaire située à l'est d'Ypres. Là fut établi au commencement du XII^{e} siècle le couvent de Nonnenbossche. *Rumetra* était le nom de la forêt, et non celui de l'église bâtie en ce lieu comme le dit M^{r} Wauters, *Ch. et dipl.* t. II, p. 71. Cf. Van Hollebeke, *L'abbaye de Nonnenbossche*. Un ruisseau porte encore aujourd'hui le nom de *Rumter*.

est autem hoc anno incarnationis dominice M°. C°. LXX°. sexto, hiis testibus: Robino preposito Insulano, Lammino Brugensi, Gerardo Mecinensi, Petro fratre comitis, Waltero Locrensi, Balduino castellano Yprensi, Gilleberto de Nivella, Gilleberto Ariensi, Henrico de Morcela et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 104.

31.

De xxv. mensuris mori nobis datis; nunc venditus est totus, sed fundus noster est et aqua.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Philippus, Dei gratia Flandrie et Viromandie comes, notum facio tam presentibus quam futuris, quia imperpetuum pro salute anime mee et patris ac matris mee et antecessorum meorum ecclesie beati Martini Yprensis terre mori mensuras xxv. ab omni exactione liberrime possidendas cum libertate fodiendi quandocumque libet, donavi. Canonici autem anniversarium diem obitus mei agent, et ea die de vino et carnibus sive piscibus, pro temporis congruentia, de ipso moro pietantiam plenariam habebunt. Hec autem terra sita est inter morum sancti Nicholai Furnensis et sancte Marie de Rumtra. Hoc igitur donum ut ratum et inconvulsum permaneat, presentis scripti attestatione et sigilli mei auctoritate confirmavi. Actum est hoc anno incarnationis dominice M°. C°. LXX°. VI°. his testibus: Robino Insulano preposito, Arnaldo priore sancti sepulcri, Gocelino preposito Formosellensi, Lammino notario Brugensi, Gerardo Mecinensi, Riquardo Blauvoet; laicis autem domino Petro fratre comitis, Balduino castellano Yprensi, Galtero Juniore Formoselensi, Galtero Locrensi, Gilleberto de Nivella, Gilleberto Ariensi, Henrico de Morsleda, Galtero camerario Yprensi, Sewalino Atrebatensi et aliis quam pluribus. 1176.

Registr. Rubrum, fol. 105.

32.

Hec littera facit mentionem de curato de Leffrinhouc; in quibus parochiani sue parochie eidem obligati sunt, ex compositione inter eos mutuo facta, ex certa pactione soluturi temporibus perpetuis.

Quedam rerum silentio deperirent, nisi eas ab oblivionis interitu tenax vetustatis littera redimeret. Eapropter ego Desiderius, Dei gratia Morinorum episcopus, tam futuris quam presentibus notum esse volo, quod conniventia Walteri, Flandrensis archidiaconi, et presbyteri de Tetingehem, parochiani capelle de Lefres constituerunt imperpetuum et concesserunt ad victum presbyteri ejusdem capelle novem mensuras terre et eccl. garbas in augusto dandas, quarum media pars erit tritici et altera avene, et sex solidos annuatim solvendos et 1176.

duas vaccas vel proficuum ex eis proveniens. Si autem vaccas mori contigerit, a parochianis presbytero restituentur. Concesserunt nichilominus ad usum presbyteri caseum unius diei in octavis sancti Johannis Baptiste solvendum, et tres solidos ad opus pellicii in nativitate Domini solvendos. Si quid autem censui vj. solidorum presbytero assignatorum accreverit, totum in usum presbyteri cedet. Hec vero eo tenore et pacto statuta sunt, ut Hugo, presbyter de Tetingehem, libere et quiete omnia predicta tota vita sua possideat. Eo autem mortuo vel a Tetingehem diviso, presbyter memorate capelle omnia predicta integre et libere possidebit, et ipsa capella a matrice ecclesia scilicet Tetingehem divisa erit. Verumptamen presbyter capelle, cum predicta possidebit, fertonem et dimidium presbytero de Tetingehem singulis annis sub nomine census dabit; parochiani autem et nunc et tunc sinnodalia episcopi solvent, videlicet singulis annis xij. denarios et in bissexto decem solidos. Universe autem decime capelle, tam in tritico quam in aliis, matrici ecclesie scilicet Tetingehem solventur. Si autem apportationem in capella fieri contigerit, totum quod ex ea provenerit, in dispositione memorati archidyaconi erit. Post mortem vero archidiaconi, persona capelle, quecumque fuerit, idem jus in apportatione habebit, quod predicto archydiacono in ea concessum est. Ut ergo hec concessio et constitutio rata et inconcussa maneret in posterum, litterarum nostrarum astipulatione et sigilli nostri impressione roborare curavimus. Actum est anno Domini M°. C°. LXX°. VI°. coram hiis testibus: Everardo decano; Alulfo, Waltero archidiaconis; Balduino cantore; Johanne cancellario; Adam, Johanne presbyteris; Alelmo, Eustacio, Clarboldo canonicis dyaconibus; Roberto, Adam, Goscelino, Johanne, Alulfo, Balduino, Bernardo, Willelmo subdiaconibus; Alexis abbate de Berges; Philippo, Achille et Hugone presbyteris.

Registr. Novum, fol. 76.

33.

De xxv. solidis qui recipiuntur Brugis pro vino et pane Eucharistie.

1177. In nomine sancte et individue Trinitatis imperpetuum. Ego Philippus, Flandrie et Viromandie comes, notum esse volo omnibus, quod pro salute anime mee dedi in elemosinam canonicis de Ypra xxv. solidos singulis annis accipiendos Brugis in dominica palmarum ex officio Lamberti notarii. De istis vero denariis statui, ut solummodo procurentur vinum et panis ad conficiendum sacrificium altaris. Ne igitur imposterum hec elemosina possit ab aliquo infringi vel cassari, sigilli mei auctoritate eam confirmari precepi, anno Domini M°. C°. LXX°. VII°.

Registr. Rubrum, fol. 105.

34.

Incipit de Tetenghem. Donatio personatus ab episcopo Desiderio.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ut ea que a fidelibus pie geruntur, omni postposita ambiguitate memoriter teneantur, reique geste veritas in lucem prodiens in perpetuum litteris tenacibus mandata servetur illesa, ego Desiderius, Dei gratia Morinorum episcopus, notum facimus tam presenti etati quam future posteritati, quod habita diligenter consideratione specialium bonorum que in ecclesia conventuali sancti Martini Yprensis, in psalmis hymnis et orationibus horis statutis, a Deo illic dedicata familia assidue fiunt et rite celebrantur, personatum ecclesie parochialis de Tetinghem integrum, quem in manu nostra habebamus vacantem, salvo sicut decet jure nichilominus episcopali quam synodali, maxime pro salute anime nostre liberaliter et canonice donavimus ecclesie predicte in perpetuum possidendum. Hoc igitur bonum cum gratanter accepisset ecclesia, ad peticionem nostram devote concessit dominus Johannes, in jam dicta ecclesia prepositus, quod in omne tempus posterum nobis et Galtero, archidiacono Teruannensi, cujus extiterat videlicet jam dicti altaris personatus, in Yprensi ecclesia anniversaria sollempniter impenderentur obsequia. Ut itaque rata maneat et inconcussa altaris hujus donatio, presentem paginam sigilli nostri insignire duximus munimento. Actum est hoc anno incarnationis dominice M°. C°. LXXX°. II°. sub hiis testibus quorum nomina subnotantur. Signum Claremboldi Morinensis ecclesie decani. Sigillum Johannis cantoris. Sigillum Hugonis tesaurarii. S. Arnulphi capellani. S. magistri Roberti. S. magistri Balduini. S. Gosevini Tornacensis. S. Johannis Suessionensis et aliorum. 1182.

Registr. Rubrum, fol. 90.

35.

Confirmatio archiepiscopi super personatum de Thetinghem.

Willelmus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, sancte Romane ecclesie tituli sancte Sabine cardinalis, omnibus ad quos littere iste pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod venerabilis frater noster D(esiderius) Morinensis episcopus, considerata religione et honesta conversatione canonicorum in ecclesia beati Martini Yprensis Deo devote famulantium, personatum parochialis ecclesie de Tetinghem tunc temporis vacantem sub obtentu salutis sue liberaliter et canonice donavit predicte ecclesie perpetuo possidendum. In recempensatione autem tanti beneficii ecclesia beati Martini, ad peticionem ejusdem episcopi, ipsi et dilecto filio nostro Galtero, Morinensi archidiacono, post obitum suum anniversarii beneficium singulis annis percipiendum concessit. Quod 1182.

ut ratum permaneat, presentis scripti patrocinio et sigilli nostri auctoritate fecimus corroborari. Actum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo secundo. Datum per manum Lambini, cancellarii nostri.

Registr. Rubrum, fol. 90.

36.

De decima de Belle in septemptrionali parte cum minori decima nobis data et empta.

1182. In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Philippus, Dei gratia comes Flandrie et Viromandie, notum facio tam presentibus quam futuris, quod ecclesia beati Martini Yprensis decimam quandam de Bella, que olim fuit Leberti et post ipsum Goisi filii ejus, erga Balduinum de Steinfort et uxorem ejus Florentiam, filiam predicti Goisi, centum et sex marcis emit cum minore decima ad ipsam pertinente. Hec autem decima jacet in septemptrionali parte rivi Bellensis, qui dicitur Bertine, partim contenta intra parochiam de Belle, partim in capella sancti Johannis. Quam decimam cum predictus Balduinus et uxor ejus Florentia in manus meas reddidissent, requisivi ab hominibus meis utrum aliquid juris in ea haberent. Et responderunt mihi nec eos nec successores eorum quicquam juris in ea deinceps habere. Sic igitur resignatam mihi legitime decimam ecclesie beati Martini Yprensis libere et hereditarie imperpetuum possidendam in manus prepositi Johannis donavi pro salute anime mee et antecessorum meorum. Quod ut ratum maneat, presentis scripti attestatione et sigilli nostri auctoritate confirmavi. Actum anno dominice incarnationis M°. C°. octogesimo secundo, Atrebati, hiis testibus: Gerardo de Mecines, Riquardo Blauvoet, Hellino dapifero, Henrico de Morsleda, Theobaldo de Rolinghem, Radulpho Vulpe, Gilelmo de Machelinis.

Registr. Rubrum, fol. 105.

37.

De decima in Meterne nobis concessa.

1183. Ego Desiderius, Dei gratia Morinorum episcopus, notum facio tam presentibus quam futuris, quod ecclesia beati Martini Yprensis decimam quandam in Meterna, erga Henricum, fratrem Balduini castellani Yprensis, triginta tribus marcis emit. Quam decimam quia idem Henricus de predicto castellano et castellanus de nobis in feodum tenebat, ipsam Henricus castellano reddidit et castellanus nobis eandem resignavit, ambo ei renuntiantes imperpetuum. Quo facto cum constaret nec eos, nec eorum successores quicquam juris in ea deinceps habere posse, decimam, ut dictum est, receptam in manu nostra liberam et absolutam tenentes prefate ecclesie beati Martini Yprensis liberrime imperpetuum possidendam in

manibus Johannis, ejusdem ecclesie prepositi, liberaliter et canonice donavimus. Quod ut ratum maneat, et scripti et sigilli nostri auctoritate confirmavimus. Actum anno Domini M°. C°. LXXX°. III°. hiis testibus: Galtero Morinensis ecclesie archydiacono, Hugone thezaurario, Arnaldo capellano et canonico, magistro Roberto, Jocelino canonico, Petro abbate Andernensi, Balduino comite Ghinensi, Gerardo de Walgi.

Registr. Rubrum, fol. 109.

38.

De confirmatione altaris de Tetinghem et de Leffrouc.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et fratribus sancti Martini Yprensis salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, parochialem ecclesiam de Tetinghem cum omnibus pertinentiis suis, sicut eam D(esiderius) bone memorie (1), Morinensis episcopus, ecclesie vestre in elemosinam juste et rationabiliter contulit et vos eam canonice et sine controversia possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Verone, VIII°. ydus decembris. 1184. 6 Décemb.

Registr. Rubrum, fol. 135.

39.

Hic quod capella vel altare non erigatur (in hospitali) sub excommunicatione jam lata.

Willelmus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, sancte Romane ecclesie tituli sancte Sabine cardinalis, apostolice sedis legatus, omnibus ad quos littere iste pervenerint salutem in Domino. Notum facimus tam futuris quam presentibus, quod cum inter ecclesiam beati Martini Yprensis et ejus aliam parochialem ecclesiam, beati videlicet Jacobi, hospitale sit edificatum, timentes magnum jam dicte detrimentum ecclesie venturum, si ibi forte divina aliquando celebrari 1186.

(1) La formule *bone memorie* appliquée à l'évêque Didier, qui vivait encore, ne doit pas faire suspecter cette charte. Bien que réservée ordinairement aux morts, elle a été quelquefois employée pour les vivants. Cf. Natalis De Wailly, *Éléments de paléographie*, t. I, p. 184.

contigerit officia, nos ob hoc ipsius ecclesie indempnitati providere cupientes auctoritate qua fungimur firmiter inhibemus, ne quis, sine assensu venerabilis fratris nostri.. Morinensis episcopi, et prenominate ecclesie beati Martini, ibi capellam fundare, aut altare presumat erigere. Si quis vero contra hanc nostre auctoritatis inhibitionem consilio vel opere ire attemptaverit, sententia excommunicationis eum involvimus, donec ad condignam satisfactionem venerit. Ut autem hec sententia inviolabiliter observetur, presenti scripto confirmare et sigillo nostro communire dignum duximus, statuentes et sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis hanc nostre confirmationis paginam audeat infringere, vel ei in aliquo contraire, salva tamen in omnibus apostolice sedis auctoritate. Actum anno dominice incarnationis M°. C°. LXXX°. sexto. Datum per manum Lambini, cancellarii nostri.

Registr. Rubrum, fol. 1.

40.

Nota quod scabini juraverunt quod nunquam divina celebrabuntur in hospitali in foro sine voluntate prepositi.

1187. Nos scabini de Ypra notum esse volumus presentibus et futuris, quod cum ecclesiam beati Martini Yprensis sicut matrem nostram specialiter diligamus, et jura ejusdem velimus in omnibus integra conservare, de voluntate illustrissimi domini nostri Philippi, Flandrie et Viromandie comitis, de consilio etiam et assensu burgensium nostrorum, in animas nostras et burgensium, sub juramento scabinatus nostri quod domino comiti feceramus, bona fide juravimus, quod ad pauperum hospitale, ad quod edificandum in foro Yprensi jam dictus comes terram dedit, nunquam capella edificabitur, altare erigetur, campana pulsabitur, divina celebrabuntur, nisi de voluntate prepositi Yprensis et capituli, et nos contra hoc statutum nunquam consilio vel auxilio ituros fideliter et amicabiliter sub premisso promisimus juramento. Hoc autem statutum ut ratum imperpetuum conservetur, presentis scripti attestatione et sigilli ville impressione fecimus communiri. Actum hoc anno dominice incarnationis M°. C°. LXXX°. VII°. hiis presentibus: Gerardo cancellario et preposito Brugensi, Gerardo preposito Insulensi, Gosuino preposito Formozellensi, Anselmo preposito Eversammensi, Waltero preposito Loensi, Balduino castellano Yprensi, Henrico justiciario Yprensi, et ceteris tam clericis quam laicis et burgensibus.

Registr. Rubrum, fol. 3, et en *vidimus*, *Registr. Nigrum*, fol. 53.

Aux Archives de la ville d'Ypres: copie du XIV^e^ siècle, sur papier; transcription au *Geluwenbo'k*, fol. 59.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 329. — Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 12 (analyse et texte de la fin).

41.

Philippus comes statuit quod [in hospitali in foro] nec capella fundetur, nec altare erigatur, nec campana pulsetur.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Ego Philippus, Dei gratia comes Flandrie et Viromandie, notum esse volo tam futuris quam presentibus, quod cum omnium ecclesiarum terre mee defensor esse debeam, ecclesie beati Martini Yprensis beneficium protectionis mee diligenter impendere dignum duxi. Et quia hujus ecclesie canonici paucos admodum redditus habentes de oblationibus fidelium vivere consueverunt, consideravi maximum eis imminere detrimentum, si in hospitali, ad quod edificandum in foro meo Ypre terram dedi, aliquando divina officia contingeret celebrari. Volens igitur ecclesie jam dicte, cujus advocatum me Deus constituit, juris sui integritatem omnimodis conservare, decrevi et statui ut in predicto hospitali imperpetuum neque capella fundetur nec altare erigatur nec campana pulsetur, nisi de voluntate et consensu prepositi Yprensis et capituli sui hoc fieri possit. Hoc statutum nostrum scabini Yprenses se inviolatum servaturos sub jurejurando quod mihi fecere juraverunt, et se nec actu nec consilio ullatenus contra ituros statuerunt. Quod ut ratum et incontaminatum conservetur, presentis scripti attestatione et sigilli mei impressione communivi. Actum est hoc anno dominice incarnationis M°. C°. LXXX°. VII°. hiis presentibus: Gerardo cancellario et preposito Brugensi, Gerardo preposito Insulensi, Gosuino preposito Formozellensi, Anselmo preposito Eversammensi, Waltero preposito Loensi, Balduino castellano Yprensi, Gerardo castellano Oudenburgensi, Henrico justiciario Yprensi, Erlebaldo precone, Ysaac de Staden, Ysaac de Meterna. 1187.

Registr. Rubrum, fol. 2.

Aux archives de la ville d'Ypres: copie du XIV^e^ siècle sur papier; transcription au *Geluwenboek*, fol. 59.

Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 11 (analyse et noms des témoins). Cette pièce n'est pas dans l'*Histoire de la Flandre* par Gheldolf, comme M. Wauters l'indique par erreur.

42.

Hic super eodem. Excommunicatio jam lata ab episcopo D(esiderio) Morinensi: Si quis contra hoc egerit actu vel consilio altare erigendo.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Desiderius, Dei gratia Morinorum episcopus, notum esse volo tam presentibus quam futuris, quod cum omnibus ecclesiis infra dyochesim nostram constitutis pastorali cura providere debeam, ecclesiam beati Martini Yprensis specialem filiam nostram 1187.

et propensius nobis dilectam, utpote que mihi et precessoribus meis multimodis servivit, consilio et auxilio manutenere ac defendere teneor, ejusque honori et utilitati pre ceteris potissimum invigilare. Quia igitur inter hanc ecclesiam et ejus aliam parochialem ecclesiam, beati videlicet Jacobi, hospitale edificatum est brevissimo ab utraque ecclesia distans intervallo, magnum jam dicte ecclesie beati Martini de hoc hospitali venturum formido detrimentum, si forte, quod Deus avertat, divina ibi aliquando celebrari contigerit. Inde est quod ex officio episcopali auctoritate Dei et nostra inhibemus, ne quis sine nostro et prelibate ecclesie beati Martini Yprensis assensu, aut capellam ibi fundare aut altare erigere presumat. Si quis autem, quod absit, contra hanc inhibitionem consilio vel actu ire attemptaverit, auctoritate Dei et beate Marie omniumque sanctorum et nostra eum anathematizamus et ab integritate universalis ecclesie imperpetuum separamus, donec ad satisfactionem resipiscens venerit. Actum est hoc dominice incarnationis anno M°. C°. LXXX°. VII°. hiis testibus: Gualtero archydiacono Teruanensi, Hugone thesaurario, Arnaldo capellano, Johanne Suessionensi, magistro Arnulpho canonicis Teruanensibus, Gosuino preposito Formozellensi, Lamberto decano Yprensi et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 1.

43.

Confirmatio pape super parochia de Tetinghem.

1191. 11 Janv. Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et fratribus sancti Martini Yprensis salutem et apostolicam benedictionem. Quociens a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere et juxta petentium voluntatem consentaneam rationi effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, parochialem ecclesiam de Tetinghem cum omnibus pertinentiis suis, sicut eam D(esiderius), Morinorum episcopus, predicte ecclesie vestre sancti Martini rationabiliter contulit, et vos juste et sine controversia possidetis, vobis et per vos ecclesie vestre confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Statuimus insuper ut nullus infra fines parrochie vestre sine diocesani episcopi et vestro assensu seu voluntate capellam vel oratorium edificare presumat, salva tamen in omnibus apostolice sedis auctoritate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis seu institutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III°. idus januarii (1), pontificatus nostri anno quarto.

Registr. Rubrum, fol. 91.

---

(1) Le Ms. porte: *Datum Lateran. III ad januar.*, ce qui paraît altéré.

44.

De septuaginta quinque vasis de Voedermond.

Notum sit tam presentibus quam futuris, quod ego I(da), castellana de sancto Audomaro, ex assensu Willelmi, filii mei, castellani, et Jacobi, fratris ejus, atque Willelmi, filii mei minoris, successoris mei in bonis de Pittekam, Johanni de Ypris, clerico meo, quotannis centum solidos in prenominatis bonis assignavi. Quia vero dominus meus, dum adhuc viveret, cujus recordatio pia est, elemosinis et bonis operibus intentus, quindecim marchas J(ohanni) prenominato concessit, nos vero, quia non sufficientes ad pecuniam prenominatam ad presens solvendam existimus, lxxv. vasa, que nominantur *vodercoren* (1), omnibus diebus vite mee jam sepedicto J(ohanni) clerico meo in prelibata villa assignavi recipienda; hoc tamen addito, quod Willelmus, minor filius meus, post ingressum universe carnis, quantum ad me spectat, qui successor nobis in jam sepedictis bonis succedet, et utinam! prenominatam pecuniam a purificatione beate Virginis in purificationem sufficienter persolvat. Ut autem hoc factum nostrum ratum et inviolabile permaneat, presentem paginam sigilli nostri et Willelmi, dilecti filii nostri castellani, impressione corroborando dignum duximus auctorizandam. Actum anno Domini M°. C°. LXXIX°. IIII°. (2) sub testimonio Willelmi de Ghines, Willelmi Franchois, Walteri abbatis, Willelmi de Pittekam, Henfridi Delhammel, Willelmi Macri tunc temporis clerici nostri, Frederici. 1194.

Registr. Rubrum, fol. 47.

45.

Quod alicui licitum non sit capellas de novo construere, altaria erigere et consecrare, scolas regere, oblationes recipere, custodias dare.

Celestinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et canonicis Yprensibus salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates 1195. 29 Août.

(1) *Vasa*, mesures. *Voedercoren* ou *Voedermond*, impôt sur les grains. Il existait à Furnes un impôt de même nature, appelé *Musepeneghe*. Une charte de 1275, *Cart. S. Nicolai Furnensis*, p. 110, explique en quoi consistait cet impôt de l'espier de Furnes : « A chascun des trois termines de la recepte, de chascun hoet de fourment, quatre deniers de nostre monoie de Flanders. »

(2) Nous avons corrigé à la marge l'erreur évidente qui est dans cette date.

et immunitates necnon antiquas et rationabiles consuetudines vobis et ecclesie vestre concessas et hactenus approbatas, ratas habemus, et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Presenti vero pagina inhibemus, ne contra longas consuetudines ipsius ecclesie et approbatas hucusque licitum sit cuiquam infra castrum Yprense sine licentia vestra scolas regere, capellas de novo construere, altaria erigere vel ea consecrare, oblationes parochianorum vestrorum recipere, custodias ecclesiarum vestrarum concedere, vel divinum officium celebrare, salvis tamen privilegiis aut indulgentiis nostris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IIII°. kal. septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Registr. Rubrum, fol. 135.

46.

Privilegium pape quod libertates et immunitates ecclesie nostre confirmat.

1195. 30 Août. Celestinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo Yprensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, justas et rationabiles libertates et immunitates ab ecclesiarum prelatis et baronibus ecclesie vestre concessas et hactenus observatas, prout in eorum scriptis rationabiliter continetur, ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Decernimus autem ut nulli omnino hominum liceat hanc nostre paginam constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis vero hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III°. kal. septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Registr. Rubrum, fol. 135.

47.

De prato in confinio de Briele nobis dato a comite Balduino et Ghelino ostiario suo.

1195. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Balduinus, Flandrie comes, notum fieri volo tam futuris quam presentibus, quod Ghelinus, hostiarius meus, pratum, quod de me in feodum tenebat, in confinio capelle beate Marie de Briel situm in manus meas reddidit, et ego pro salute anime mee et Marie uxoris mee, idem pratum ecclesie beati Martini Yprensis in manu Helysei, tunc

prepositi ejusdem ecclesie, donavi ad usus capellani in capella predicta divina celebraturi. Quam terram ab omni exactione et servitio liberam esse volui, eamque cum omni jure quod in ea habui, ecclesie prefate imperpetuum liberrime possidendam contradidi. Quod ut ratum perpetuo conservetur, presentis attestatione et sigilli mei impressione corroboravi. Actum anno Domini M°. C°. XC°. V°. hiis testibus : Gerardo preposito Brugensi et cancellario Flandrie, Joseph canonico Brugensi et notario comitis, Gerardo de Renescura, Hugone de sancto Autberto, Petro de Duaco, Guillelmo de Hundescoten, Philippo de Aria, Henrico de Paschendala et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 106.

La chapelle de Sainte-Marie au Breuil, dont il est question dans cette pièce, fut élevée au rang d'église paroissiale en 1196, par Élisée, prévôt de Saint-Martin. Les archives de la ville d'Ypres possèdent la charte originale munie d'un sceau en cire rouge, et une transcription au *Geluwenboek*, fol. 14. Elle a été reproduite par M. Diegerick, *Annales de la Société d'Émulation de Bruges*, 2e série, t. VII, p. 191, et analysée par lui, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 15. Cf. Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V. p. 38.

48.

Hec littera facit mentionem quod dominus Hugo, abbas sancti Petri Gandensis, confirmavit donationem factam ecclesie nostre a domino Helmaro, ecclesie nostre preposito, a Bonifacio et Jacobo in villa et dominio suo Boesinghem.

Hugo, Dei gratia abbas sancti Petri Gandensis, omnibus tam presentibus quam futuris, ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Divinum est et humanum, ut ecclesia adversus ecclesias seminarium odii non querat nullatenus aut rancoris. Eapropter universitati vestre notum esse volumus, quod nos donationem illam quam dominus Helmarus, ecclesie Yprensis abbas et prepositus, Bonifacius et Jacobus in villa nostra Bosengen, unde originem contraxerant, titulo elemosine contulerunt, ratam habentes, de consensu totius capituli nostri omnem possessionem a predictis donatoribus eidem ecclesie rationabiliter collatam confirmamus et presenti patrocinio communimus, statuentes ut nulli liceat jam dicte donationi sive nostre confirmationi in aliquo contraire, salva tamen in omnibus justicia et consuetudine ecclesie nostre. Testes quoque, qui tali concessioni nostre interfuerunt, ad majorem confirmationis nostre certitudinem subnotavimus. Signum domini Hugonis abbatis. S. Amandi subprioris. S. Walteri de Sumarda. S. Balduini de Harnis. S. Alulfi fratris ejus. S. Vincentii Direkini, Reneri de Pomerio, Arnaldi Hurtarii, Remundi Haket, scabinorum de Boesengen. Datum anno dominice incarnationis M°. C°. XC°. V°. 1195.

Registr. Novum, fol. 189.

49.

Confirmatio premissorum [de hospitali] a comite Balduino.

1195. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Balduinus, Dei gratia comes Flandrie, notum fieri volo tam futuris quam presentibus, quod munimentum ecclesie beati Martini Yprensis super hospitali in foro meo Yprensi sito, sicut ab avunculo meo Philippo, Flandrensium comite illustrissimo, confirmatum est, ego quoque itidem corroborare atque inviolabiliter conservare dignum duxi, ad hunc videlicet modum ut, sicut in privilegio avunculi mei comitis Philippi continetur, in predicto hospitali imperpetuum neque capella fundetur, neque altare erigatur, neque campana pulsetur, nisi de voluntate et consensu prelibate ecclesie id fieri possit. Cum enim hujus ecclesie, quam specialiter diligo, sicut et ceterarum terre mee ecclesiarum advocatus divina providentia sum constitutus, quod viri sapientissimi provida dispensatione stabilitum est, et salva indempnitate jam dicte ecclesie infringi nullatenus posset, perpetua stabilitate teneor conservare. Itaque hoc ipsum et presentis scripti attestatione et sigilli mei auctoritate confirmo et consigno. Actum anno ab incarnatione Domini M°. C°. nonagesimo V°. hiis testibus: Gerardo preposito Brugensi Flandrie cancellario, Arnulpho Teruannensi archidyacono, Gerardo de Reghenescura, Gerardo Insulensi, magistro Galtero Yprensi decano, Balduino camerario de Grammines, Radulpho Vulpe et Lambino filio ejus, Henrico de Paskendale et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 3.

50.

Littera de quodam Arnaldo, leprosorum Yprensium presbytero, qui Remis ex parte ecclesie citatus, ex eo quod oblationum dampna ecclesie intulerat, tandem juravit super textum evangeliorum se nunquam in villa Yprensi divina celebraturum nec etiam ecclesie malignaturum.

1196. Lambertus, Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Notum facimus tam presentibus quam futuris, quod Arnaldus, leprosorum Yprensium presbyter, postquam multa oblationum dampna ecclesie beati Martini Yprensis intulerat, Remis in curia domini archyepiscopi tamdem citatus venit, ubi nobis presentibus et nobiscum una domino Matheo cancellario, magistro Huberto, Johanne abbate sancti Bertini, Arnoldo preposito Watensi, magistro Hugone de Ypra, clerico domini Remensis, idem Arnoldus injuriam suam recognoscens palam confessus est se judicium capituli ecclesie Morinensis transgressum fuisse, et oblationes sibi abjudicatas utpote ecclesie beati Martini debitas recepisse. Quod dampnum cum restituere juberetur, dis-

positionis nostre arbitrio se per omnia supposuit. Die igitur constituto, Teruannam veniens super textum evangeliorum sub stola juravit, se nunquam amplius in capella leprosorum Yprensium sed nec in aliqua Yprensis ville parochia divina celebraturum, neque ulterius in predicta beati Martini ecclesia aliquatenus malignaturum, sed potius honori et utilitati tam ejusdem ecclesie quam prepositi et canonicorum pro modulo suo inserviturum. Quod ut ratum maneat, presentis scripti atestatione et sigilli nostri impressione confirmavimus. Actum anno Domini M°. C°. XC°. VI°. Teruanne in domo nostra, hiis testibus: magistro Baldoino decano Morinensi, Jocelino cum Johanne Suessionensibus canonicis, Arnoldo preposito Watensi, Theodorico preposito Formeselensi, Drogone decano de Lislers cum suis sex vel amplius presbyteris, R. advocato Morinensi et aliis quam plurimis. Postea vero cum necessaria eidem presbytero satis competentia de nostro consilio a preposito Yprensi apud Calonam provisa renueret, acceptis ab eodem preposito vij. libris letus et alacer ipsum et ecclesiam suam omnimodis liberam clamavit, adjuncto etiam juramento sub stola continentiarum prioris juramenti comprehensivo. Testes: Th. prepositus Formosellensis, W. Insulensis decanus, R. Yprensis decanus, Hugo clericus domini Remensis, magister Lambertus Bulric, Willelmus de Mardic, Salomon capellanus noster, et alii quam plurimi.

Registr. Nigrum, fol. 76.

51.

Hic quod quidam fuerant propter hoc excommunicati et venerunt ad emendam.

Lambertus, Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Notum fieri volumus tam futuris quam presentibus, quod quidam clericus Yprensis Arnoldus, cum pro hospitali in foro Ypre sito sepenumero Romam profectus fuisset, et in detrimentum atque injuriam ecclesie beati Martini pro celebrandis in eodem foro divinis, multum sed frustra laborasset, tandem cum noviter in presbiterum esset ordinatus, bono ductus spiritu penituit et nemine cogente coram nobis assistens temere se errasse et in ecclesiam predictam enormiter peccasse confessus est, veniam petens et gratiam atque amicitiam prepositi Helysei et capituli sui humiliter querens. Itaque nobis presentibus a preposito receptus communi capituli assensu, tacto sacri ewangelii textu, perpetuam ecclesie prefate fidelitatem sub stola juravit; addito quod de cetero contra illam ecclesiam aut aliam quamlibet actu vel consilio quicquam malignitatis aut doli machinari vel querere aliquando nullatenus attemptaret, sed potius honori et utilitati tam illius ecclesie quam aliarum inservire satageret. Preterea, cum a domino papa in mandatis accepissemus, ut si constaret nobis quod, inconsulto archiepiscopo et nobis episcopo suo, et absque Romani pontificis indulgentia in detrimentum Yprensis ecclesie quidam laici in foro Yprensi capellam edificassent, talem insolentiam ne in posteros pullularet ecclesiastica censura compesceremus, Ypram pro inquirenda veritate venimus; 1196.

ubi quinque Yprensis hospitalis conversi, quos judices delegati, Petrus videlicet Atrebatensis episcopus venerabilis, et Symon abbas de Laude apostolica auctoritate propter idem negocium excommunicationis sententia involverant, penitentia ducti ad pedes nostros venerunt, et veniam postulantes, scripta que pro habenda capella per falsam suggestionem a sede apostolica impetraverant, in manus nostras reddiderunt, et quod de cetero nec campanam nec altare nec capellam construerent, neque in aliquo negocio contra honorem vel utilitatem ecclesie Yprensis ire attemptarent, super sacrum ewangelii textum jurisjurandi cautionem prestiterunt, et sic eos absolutos dimisimus. Itaque rem gestam presenti scripto mandari atque in pacis et concordie stabilitatem sigilli nostri impressione consignari fecimus. Actum anno Domini M°. C°. XC°. VI°. Ipre in claustro. Testes sunt Theodericus Formozellensis, Anselmus Eversammensis, Sigerus Loensis prepositi; Walterus magister Yprensis et canonicus Morinensis, Willelmus de Mardic officialis noster, Salomon capellanus noster, magister Lambertus Bulric, magister Christianus, Willelmus clericus, Willelmus Boudri, Walterus de Scotis, Michael Scavin, Arnoldus Boem scabini et alii quam plures.

Registr. Rubrum, fol. 2.

52.

Confirmatio domini archiepiscopi super premissis.

1198. Willelmus, Dei gratia Remensis archiepiscopus, sancte Romane ecclesie tituli sancte Sabine cardinalis, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Noverint universi, nos ex testimonio venerabilis fratris nostri L(amberti), Morinensis episcopi, accepisse, quod cum inter ecclesiam beati Martini Yprensis et tam scabinos ejusdem ville quam leprosos controversia haberetur super capella eorumdem leprosorum, tandem de assensu partium et voluntate per ipsum episcopum amicabili compositione eadem controversia terminata penitus est et sopita. Ab ipso etiam didicimus episcopo, quod cum quidam Arnulphus clericus Yprensis, antequam in presbyterum ordinaretur, sepius Romam profectus pro hospitali in foro sito Yprensi et divinis in eo celebrandis prenominatam diutius vexaret ecclesiam, tandem idem Arnulphus bono ductus spiritu, post ordinationem suam penituit, et nullo cogente, presente episcopo jam dicto, confessus quod enormiter et injuriose in sepe nominatam Yprensem ecclesiam peccaverit, super textum ewangeliorum juravit quod contra ipsam ecclesiam de cetero quicquam malignitatis aut doli querere aut machinari nullatenus attemptaret. Hec autem et alia, sicut in scripto ipsius L(amberti) episcopi Morinensis continentur autentico, rata habentes et illibata presentis scripti pagina communimus et sigilli nostri karactere confirmamus; statuentes et sub interminatione anathematis firmiter inhibentes, ne quis hanc nostre confirmationis paginam audeat infringere, aut ei in aliquo temere contraire. Actum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo. Datum per manum Mathei, cancellarii nostri.

Registr. Rubrum, fol. 18.

53.

Hic de domo leprosorum et nota quod medietas omnium oblationum ad nos pertinet.

Lambertus, Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Notum sit tam presentibus quam futuris, quod, quum inter ecclesiam beati Martini Yprensis et scabinos Yprenses et leprosos, super capella leprosorum Yprensium, habita diutius coram nobis fuisset controversia, tandem in nos de communi assensu convenerunt, nostre capellam per omnia ordinationi relinquentes et arbitrio. Nos autem pro bono pacis, in principio capellam ipsam in honore beate Marie Magdalene dedicavimus, statuentes ut unam medietatem sumptuum ad dedicationem pertinentium ecclesia beati Martini, reliquam leprosi persolverent, ut quos in sumptibus procreandis pares esse voluimus, in emolumentis percipiendis equales faceremus. De omnibus itaque oblationibus, sive in altari sive in medio ecclesie vel etiam foris ibidem a fidelibus oblatis ab initio dedicationis usque ad novissimum indulgentie nostre diem, ecclesia beati Martini et leprosi ad equum venient participium. Singulis autem annis in anniversario dedicationis die expensas ad ornatum solempnitatis spectantes eque persolvent et oblationes inter se simili modo distribuent. Oblationes etiam, quas pro leproso mortuo vel fratre de domo ipsa victum et vestitum accipiente in predicta capella ad missam animarum haberi contigerit, similiter dividentur. Relique vero oblationes per totum anni circulum absque aliqua diminutione ad usum ecclesie beati Martini devenient. In parascheve quoque quicquid ad adorandam crucem post inchoatum servicium oblatum fuerit, absque participe ecclesie beati Martini remanebit; de reliquo autem quicquid ante servitium in ipsa capella obvenerit, leprosorum erit. Presbyterum autem qui in ecclesiasticis officiis et visitationibus leprosis diligenter assistat, ecclesia Yprensis de suo proprio providebit. Quod si scabini vel leprosi, aliqua cupiditate allecti, amplius aliquid quam quod a nobis statutum est, in detrimentum ecclesie Yprensis minus prudenter extorquere presumpserint, nostrum et successorum nostrorum erit eos ecclesiastica censura cohibere. Ne aliquid etiam per litteras vel alio modo in prejudicium ecclesie Yprensis de cetero debeant attemptare, sufficientem in presentia nostra prestiterunt cautionem. Ut igitur hec nostra compositio perpetue stabilitatis robur obtineat, eam presentis scripti patrocinio et sigilli nostri auctoritate confirmamus, sub interminatione anathematis districtius inhibentes ne quis hanc nostre confirmationis paginam audeat infringere, vel ei in aliquo ausu temerario contraire. Actum anno gratie M°. C°. XC°. octavo, mense maio, hiis testibus: Joseph archidiacono Flandrie; Terrico Formozellensi, Anselmo Eversammensi prepositis; magistro Waltero dyacono, Waltero subdyacono canonicis Morinensibus; Salomone capellano nostro, Radulpho decano Yprensi, Willelmo decano Yprensis ecclesie

1198. Mai.

et capitulo, Willelmo clerico, Terrico Medem, Waltero de Scotis, Willelmo Baudri, Michaele Scavin, Michaele Rugghinvoet scabinis et aliis quampluribus viris.

Registr. Rubrum, fol. 17.

54.

Optimum privilegium ecclesie et confirmatio omnium bonorum nostrorum etc. Consimile privilegium habemus a tribus aliis scilicet Gregorio, Alexandro et Urbano.

1200. 3 Août. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Helizeo, abbati ecclesie beati Martini de Ypra, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis imperpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam beati Martini, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Dominum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium vel aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam beati Martini, ecclesiam beati Petri, ecclesiam beati Jacobi et ecclesiam beati Johannis infra castrum Yprense positas cum omnibus pertinentiis suis; altare de Boesinghes et ea que ecclesia vestra tam in decimis quam in aliis rebus in eadem villa possidet; altare de Zutscoten cum decimis et aliis rebus que in eadem villa vobis concesse sunt perpetuo possidende; altare de Rininghelst, cum hiis omnibus que ibi habetis; personatum ecclesie de Tetinghem cum omnibus pertinentiis suis, quem Desiderius, quondam Morinensis episcopus, cum omni integritate liberaliter vobis concessit; altare de Calona, quod Alvisius, quondam Atrebatensis episcopus, vobis perpetuo concessit habendum; annuum redditum centum solidorum de capella Philippi, quondam comitis Flandrie, super wastinam ab eodem comite vobis concessum; duas partes decime de Zutscoten, quam Rogerus Gange vestre ecclesie resignavit; partem decime in Meterna ab Henrico de Balolia vobis resignatam; decimam etiam de Bella, quam Boedinus de Steinfort ad opus ecclesie vestre assensu Philippi quondam comitis resignavit; quindecim mensuras terre cum libertate comitatus, quas Baldeuinus, quondam Yprensis castellanus, ecclesie vestre libere et absolute in

elemosinam dedit; partem decime de terra Porcorum jacente in villa de Marc et in confinio ville que dicitur Rosebeke et in confinio de Paschendale, quam Karolus, quondam comes Flandrie, vobis in elemosinam perpetuo concessit habendam; terram etiam quam Jordanus, castellanus de Dixmudis, ab omni exactione liberam infra Ypram jacentem libere vobis et absolute donavit; viginti quinque mensuras mori, quas comes Philippus cum omni libertate comitatus, sicut in ejus auctentico continetur, vobis pro anime sue remedio erogavit; partem decime de Calona a Gregorio Destaires acquisitam et terram quam in eadem villa de Calona possidetis; terram etiam de Boesinghem, et terram jacentem in villa que dicitur Locris, et terram jacentem in Steinwerka; libertates terrarum et comitatus in castro Yprensi et extra in Formezella, in Zelebecca et in Flamertingha cum eodem dominio, quod vobis tam comites quam barones liberaliter concesserunt; terram seu possessionem a Gualtero fratre Herberti archidiaconi et Hugone Fisceo (1) vobis concessam; terram quam vestra ecclesia a Waltero filio Ranulfi emit; terram de Marc, quam frater Zigardus vobis contulit; terram etiam de Paschendale, quam presbiter Werembaldus vestre ecclesie assignavit. Sane novalium vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis proprios sacerdotes eligere et eos dyocesano episcopo presentare, quibus, si ydonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Ad hec presenti decreto districtius inhibemus, ne quis infra fines parochialium ecclesiarum vestrarum ecclesias seu oratoria sine vestro et episcopi dyocesani assensu de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam preterea ejusdem loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen illarum ecclesiarum justicia, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet supreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dominum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Libertates insuper et immunitates vobis et ecclesie vestre concessas, necnon antiquas et

(1) Ms. ficeos, comme ci-dessus p. 11.

rationabiles consuetudines hactenus observatas ratas habemus, et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Datum Laterani, per manum Rainaldi, Acherontensis archiepiscopi, cancellarii vicem agentis, III° nonas augusti, indictione tercia, incarnationis dominice anno M°. CC°. pontificatus vero domini Innocentii pape tercii anno III°.

Registr. Rubrum, fol. 137.

55.

Privilegium pape quod ville interdicto supponantur ubi bona nostra vel hominum nostrorum per violentiam detenta fuerint aut eorum predones fuerint vel fugitivi.

1200. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi et hii maxime qui per sedis apostolice privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii nostri abbas et canonici de Ypra ordinis sancti Augustini tam de frequentibus injuriis quam de ipso cotidiano defectu justicie conquerentes universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus et in virtute obedientie districte precipimus, quatinus illos qui in aliquem de fratribus ipsis manus violentas injecerint, vel res seu domos eorum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea que predictis fratribus ex testamento decedentium

relinquuntur, contra justiciam retinuerint, vel decimas laborum seu nutrimentorum suorum spretis privilegiis apostolice sedis extorserint, aut res eorum a fugitivis ablatas illicite retinere presumpserint, si laici fuerint, eos et principales fautores eorum publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis, clericos autem canonicos sive monachos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis abbati et fratribus plenarie satisfaciant, et hii precipue, qui pro violenta manuum injectione vinculo fuerint anathematis innodati, cum dyocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona predictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, aut predones eorum permanserint, seu etiam fratres fugitivi canonici vel conversi contra voluntatem ipsorum extiterint, nisi habitatores eorum diligenter ammoniti eos a se curaverint amovere, quamdiu ibi fuerint interdicti sententie appellatione postposita supponatis. Datum Laterani, anno tercio.

Registr. Rubrum, fol. 139.

56.

Hic confirmatio decime de Watewe.

Ego Sibilla, domina de Lisleriis, fidelibus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis notum facio, quod ad mandatum et consilium venerabilis patris mei spiritualis L[amberti], episcopi Morinensis, et ad petitionem karissime domine mee M[argarete], Flandrie ac Haynonie comitisse, donationi cujusdam decime, quam Gelinus, janitor patrui mei pie memorie Philippi, comitis Flandrie, assensu et coniventia Willelmi, filii Ysaac de Flamertinghe, qui eandem decimam de me in feodum tenebat, ecclesie sancti Martini Yprensis ante obitum suum, sicut a multis fidelibus et ecclesiasticis viris didici, legitime in elemosinam contulit, ob anime mee remedium meum prebui assensum. Quod ut ratum sit, presentem paginam sigilli mei impressione et testium subscriptione corroboravi. Hii sunt testes: magister Willelmus officialis Attrebatensis episcopi, Petrus monachus de Waurin, Willelmus presbyter sancti Venantii, Robertus de Insula, Lambertus et Balduinus de sancto Venantio. Actum anno incarnationis millesimo ducentesimo. 1200.

Registr. Rubrum, fol. 47.

57.

Privilegium comitis Bald[uini] de decima de Watue.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Balduinus, Flandrie et Hainoie comes, notum fieri volo tam futuris quam presentibus, quod dona- 1201.

tionem cujusdam decime in Watuwes, quam Ghelinus, janitor karissimi avunculi mei Philippi bone memorie, Flandrie et Viromandie comitis, de assensu Willelmi filii Ysaac de Flamertingha, de quo idem Ghelinus eam in feodum tenebat, ecclesie beati Martini Yprensis in elemosinam legitime contulit, ob remedium anime mee et uxoris mee Marie et parentum meorum ratam habeo, et eidem ecclesie imperpetuum libere possidendam sigilli mei munimine confirmo, sicut eam confirmat neptis mea Sibilla domina de Lileirs, de qua predicta decima descendebat. Actum anno Domini M°. CC°. primo, hiis testibus : Maria uxore mea, Henrico fratre meo, Gerardo preposito Brugensi et cancellario Flandrie, Johanne castellano Brugensi, Michaele de Harnes, Petro de Mainil, Gerardo castellano de Oudenburgh, Philippo de Aria, Bernardo de Resbais, Rogero capellano, Wulvino, Willelmo clerico.

Registr. Rubrum, fol. 106, et *Registr. Novum*, fol. 73.

58.

Donatio altaris de Tetinghem cum pertinentiis suis nobis ab episcopo Lamberto postea facta.

1201. Lambertus, Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Cum bone memorie predecessor noster Desiderius, quondam Morinorum episcopus, altare de Tetinghem cum appendiciis suis ecclesie beati Martini Iprensis perpetuo possidendum contulisset, et tam ipse quam venerabilis pater noster et dominus Willelmus, Remorum archiepiscopus, scripto suo auctentico confirmasset, nos occasione accepta quod hujusmodi donatio scripto et sigillo capituli nostri Morinensis nequaquam fuerat confirmata, altare illud ad opus nostrum saisivimus. Quod cum domino nostro Remensi archiepiscopo esset intimatum, rogavit nos attentius ut, quod suo communitum fuerat privilegio, firmiter atque inviolabiliter observaremus, nec antiquam ecclesie Yprensis possessionem in aliquo turbaremus. Nos itaque precibus ipsius debita annuentes reverentia, de assensu et coniventia tocius capituli nostri, donationem altaris de Tetinghem cum pertinentiis suis jam dudum a domino Desiderio liberaliter factam approbavimus, et firmam atque inconcussam deinceps in perpetuum permanere decrevimus. Quod ut etiam perpetue stabilitatis robur optineat, nos hujusmodi concessionem nostram et presentis scripti patrocinio et sigilli nostri auctoritate communimus, statuentes et sub interminatione anathematis districtius inhibentes ne quis hanc nostre confirmationis paginam audeat infringere, vel ei in aliquo ausu temerario contraire. Actum anno Domini millesimo ducentesimo primo, apud Teruannam.

Registr. Rubrum, fol. 90.

Sanderus, *Flandria illustrata*, 2e édit. t. II, p. 324 (analyse).

59.

Littera de consensu et assensu capituli Morinensis super premissis.

Balduinus decanus totumque cum eo Morinensis ecclesie capitulum omnibus ad quos littere iste pervenerint, in Domino salutem. Cum bone memorie dominus noster Desiderius, quondam Morinensis episcopus, altare de Tetinghem cum appendiciis suis ecclesie beati Martini Iprensis perpetuo possidendum contulisset, et tam ipse quam venerabilis pater noster et dominus Willelmus Remensis archiepiscopus scripto suo autentico confirmasset, venerabilis pater noster Lambertus, Morinensis episcopus, occasione accepta quod hujusmodi donatio scripto et sigillo capituli nostri Morinensis nequaquam fuerat confirmata, altare illud ad opus suum saisivit. Quod cum domino nostro Remensi archiepiscopo esset intimatum, rogavit dominum nostrum episcopum attentius ut, quod suo communitum fuerat privilegio, firmiter atque inviolabiliter observaret, nec antiquam ecclesie Iprensis possessionem in aliquo turbaret. Dominus autem episcopus precibus ipsius annuens, de assensu et coniventia tocius capituli nostri donationem altaris de Tetinghem cum pertinentiis suis jam dudum a domino Desiderio liberaliter factam approbavit, et firmam atque inconcussam deinceps in perpetuum permanere decrevit. Nos itaque nostrum gratanter adhibentes assensum in hujus rei firmam stabilitatem et testimonium presentem paginam sigilli nostri appensione communivimus. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo primo, apud Teruannam. 1201.

Registr. Rubrum, fol. 91.

60.

Littera quod sumus quiti a theolonio et traverso et pontagio in Warnestoen.

Ego Willelmus, Attrebatensis advocatus, Bethunie et Tenremunde dominus, et dilecta uxor mea Machtildis, notum facimus tam futuris quam presentibus, quod ob salutem animarum nostrarum et predecessorum et successorum nostrorum ecclesie beati Martini Yprensis et fratribus ibidem Deo servientibus et commorantibus hanc libertatem dedimus, quod in terra Bethunie et Warnestoen in rebus suis, quas ad proprios usus adduxerint vel abduxerint, ab omni exactione theolonei, pontagii et traversi liberi sunt imperpetuum. Quod ut ratum permaneat, sigillis nostris presentem paginam communimus. Actum anno gratie millesimo ducentesimo secundo, mense junio, hiis testibus : Theobaldo abbate de Warnestun, Willelmo preposito de Betune, magistro Johanne notario, Thoma de Dovia, Petro de Busbeke. 1202. Juin.

Registr. Rubrum, fol. 59.

61.

Littera compositionis inter nos et presbyterum de Calone, et quod majores decime sunt nostre.

1202. Août. R. divina permissione Attrebatensis archidiaconus, omnibus quibus litteras istas videre contigerit, in Domino salutem. Noverit fidelium universitas, quod cum prepositus Yprensis pro ecclesia sua et R. presbyter de Calona, super multis controversiis quas inter se mutuo habebant, coram nobis litigarent, tandem pro bono pacis intercessit amicabilis compositio inter eos hoc modo. Ecclesia sancti Martini Yprensis omnes majores decimas integre habere debet; minutas decimas sicut ex agnis, lanis, lino et aliis hujusmodi, oblationes etiam et alios proventus ad altare venientes cum legatis sibi nominatim relictis idem presbyter cum omni debet percipere integritate. Preter hoc debet idem presbyter habere decem dietas terre arabilis et duas prati, et quatuor solidos monete currentis in villa pro manso suo in natale Domini annuatim solvendos ab eadem ecclesia presbytero sepedicto. Hanc compositionem a preposito pro bono pacis factam capitulum Ypreuse ratam habuit, et etiam approbavit per litteras suas ad nos propter hoc destinatas. Ut igitur premissa compositio rata manens ac firma memorie in posterum commendetur, ad postulationem partium presens scriptum fieri fecimus et sigilli nostri appositione muniri, subscriptis nominibus illorum qui presentes interfuerunt. Hii vero interfuerunt: Hugo de Vitri presbyter et officialis domini episcopi, magister Asso de Vitri canonicus Attrebatensis, Ph. decanus de Betune, Radulfus presbyter de Bosinges, magister Robertus de Duaco, Ingleardus futurus presbyter de Hovem et multi alii. Actum anno Domini millesimo ducentesimo secundo, mense augusto.

Registr. Rubrum, fol 86.

62.

Nota de presbyteris Yprensibus instituendis vel destituendis et quo vel quando mittendis.

1205. Octobre. Ego N. dictus abbas de Claromaresch, et ego Arnulphus, prepositus Watinensis et ego B. decanus Morinensis, notum fieri volumus universis presentibus et futuris, quod cum inter dominum episcopum et ecclesiam Morinensem ex una parte, et.. prepositum et ecclesiam Yprensem ex altera parte, tam Rome quam in partibus istis coram judicibus a sede apostolica delegatis diutius litigatum fuisset, super canonicis Yprensibus ponendis in parochialibus ecclesiis de Ypra et amovendis et super aliis quibusdam articulis, tandem Dei gratia cooperante omnis controversia et altercatio sopita est, et pax de communi assensu reformata in hunc modum. Quando prepositus Yprensis voluerit ponere aliquem de

canonicis suis in aliqua ecclesiarum suarum de Ypra, adducet vel mittet eum quem credet esse ad hoc ydoneum, ad dominum episcopum ubicumque fuerit in archidiaconatu Flandrensi vel Teruanne. Quod si dominus episcopus tunc in aliquo predictorum locorum non fuerit, simili modo adducet vel mittet ad archidiaconum Flandrie. Quod si ipse archidiaconus Teruanne vel in archidyaconatu suo non fuerit, adducet vel mittet eum ad officialem apud Teruannam, vel ad decanum christianitatis de Ypra, si absens fuerit officialis. Qui canonicus adductus vel missus jurabit se fideliter custodire omnia jura domini episcopi et archidiaconi et decani et ecclesie Morinensis, quamdiu in parochia illa ministrabit. Et sciendum quod in potestate prepositi Ipreusis erit amovere canonicos suos a parochiis suis, quocienscunque viderit expedire. Canonicum vero illum, quem voluerit ponere in loco amoti vel mortui, cum mori contigerit, infra quindecim dies post amotionem vel mortem adducet vel mittet ad dominum episcopum, vel ad archidyaconum, vel ad officialem, vel ad decanum modo supradicto. Interea vero licebit preposito per alium presbyterum ecclesie vacanti succurrere. Secundum hanc formam supradictam faciet prepositus Yprensis, et hec nec a domino episcopo nec ab alia aliqua persona poterunt impediri. Notandum preterea quod omnes littere que pro controversiis supradictis impetrate fuerint, vel si quas forte postmodum impetrari contigerit, per hoc arbitrium et hanc compositionem cassantur; et si que postea de impetratis vel impetrandis apparuerint, que contra arbitrium et compositionem istam sint, nullam auctoritatem vel efficaciam obtinebunt. Ut autem hec omnia perpetue stabilitatis robur obtineant, nos qui ex compromissione partium electi arbitrii et pacis hujus mediatores extitimus, litteris annotari et sigillorum nostrorum fecimus appositione muniri. Ad majus etiam firmamentum dominus Morinensis et capitulum ejus et prepositus Yprensis et capitulum ejus presentem cartam sigillorum suorum munimine confirmarunt. Sed et judices qui fuerant super causis superius memoratis a summo pontifice delegati, scilicet Gob. abbas de Valcellis, Johannes, decanus Atrebatensis, et magister Robertus de Bekerel, canonicus Cameracensis, huic arbitrio et paci benignum et favorabilem prebentes assensum, ad ipsum arbitrium et pacem plenissime et perpetuo roborandam sigilla sua presenti carte rogatu partium appenderunt et auctoritate apostolica confirmarunt. Actum anno gracie M°. CC°. quinto, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 111.

Imprimé dans Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 332.

63.

Hic de uno firtone annui redditus in mansura Johannis Bouderi.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos scabini Yprenses notum esse volumus tam futuris quam presentibus presentem paginam inspecturis, quod 1206.

Salomon Uphoghe, burgensis noster, pro remedio anime sue et uxoris sue ecclesie beati Martini Yprensis et canonicis ibidem Deo servientibus in mansura sua, quam emit erga Johannem Boudri, firtonem unum in perpetuum assignavit in circumcisione Domini annuatim solvendum, tali conditione apposita, quod si ipse vel posterorum suorum aliquis firtonem illum emere voluerit, quinque marcas ecclesie dabit pro eo, et ipsum firtonem ulterius solvere non debebit. Uxor quoque ejus elemosinam istam concessit et manum suam apposuit coram nobis. Nos etiam interrogati utrum factum istud satis firmum esset, diximus satis firmum esse et per nullam posse calumpniam in posterum infirmari. Ut ergo firmum et ratum permaneat, presentem paginam sigillo ecclesie Yprensis et nostro duximus roborandam. Actum anno Domini M°. CC°. sexto, hiis testibus: Willelmo clerico, Willelmo Pilre, Lamberto Boudri, Waltero de Scotis, Christiano Ave, Johanne Medem, Johanne Auriga, Everardo filio Reine, Tirrico de Agro, Rogero de sancto Jacobo, Michaele Scavin, Everardo Bom.

Registr. Rubrum, fol. 92.

64.

Confirmatio pape super compositione cum scabinis et fratribus hospitalis inita.

1207. 30 Mai. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. preposito et capitulo Yprensi salutem et apostolicam benedictionem. Annuere consuevit sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu compositionem quam cum scabinis et fratribus hospitalis in foro Yprensi constructi, super capella et capellano, que a bone memorie C. papa predecessore nostro in vestre prejudicium ecclesie postulabant, mediante venerabili fratre nostro Morinensi episcopo iniistis, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum, III° kal. junii, pontificatus nostri anno decimo.

Registr. Rubrum, fol. 5.

65.

De decima de Watue. Privilegium regine Machtildis, comitisse Flandrie, uxoris Philippi comitis.

1207. Ego regina Machtildis, Flandrie comitissa, notum facio tam futuris quam presentibus, quod cum Ghelinus, quondam comitis Philippi bone memorie mariti

mei serviens, quandam partem decime in Watua, quam pecunia sua emerat, per manum Willelmi filii Ysaac de Flamertingha, de quo eam idem Ghelinus in feodum tenuerat, ecclesie Yprensi in elemosinam contulisset, quidam miles Walterus Provendir nomine post mortem ipsius Ghelini, causa cujusdam propinquitatis, videlicet quia sororem ejus duxerat, prefatam decimam contra jus invasit et sibi violenter vendicavit. Cumque a judicibus per querelam canonicorum super hac causa a domino papa delegatis, jure canonico per annum et amplius idem Walterus fuisset excommunicatus, et nullatenus ab injuria sua cessare voluisset, tandem judices michi, utpote domine terre in cujus dominio ipsa decima jacet, scripserunt et auctoritate apostolica monuerunt, ut prefatum militem ab injuria sua compescerem, et canonicos Yprenses in pace decimam suam facerem possidere. Ego vero monitis apostolicis obediens ipsum Walterum militem et uxorem ejus convocavi et diligenter ammonui, ut ab injusta predicte decime invasione desisterent, et canonicos Yprenses super decima sua gaudere permitterent. Ipse autem Walterus et uxor ejus, audito consilio meo et aliorum prudentium virorum, et bono spiritu inducti se peccasse et predictam decimam injuste tenuisse et nil juris se in ea habere palam confessi sunt, et quod supradictus Ghelinus ipsam ecclesie Yprensi legitime contulit, ore proprio cognoverunt, et quod amplius nichil in ea clamarent, nec aliquid mali sive doli, vel per se vel per alios, in ecclesiam Yprensem vel ipsius ecclesie canonicos vel ministros imperpetuum machinarent; si etiam aliquem scirent in ipsam ecclesiam velle malignari, ipsi resisterent; si vero non possent resistere, canonicis Yprensibus hoc bona fide intimarent, in presentia mea et baronum terre juraverunt. Ut igitur, quod in presentia mea gestum est, immotum permaneat et ad posterorum noticiam perveniat, litterarum presentium attestatione et sigilli mei auctoritate roboravi. Actum anno gratie millesimo ducentesimo septimo, Bergis in domo nostra, hiis testibus: Philippo marchione Namurcensi, Inghelrammo abbate de Bergis, Balduino Casletensi preposito, Adam castellano Bergensi, Willelmo de Bergis, Herberto de Furnis, Willelmo Scolebone, Baraet de Trepi, Iwaino de Lensela, Gilleberto castellano Insulensi, Nicholao de Ermentiers, magistro Daniele Pelagio, Nicholao de Brabant, Nicholao decano Bergensi et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 102, *Registr. Novum*, fol. 77.

66.

De decima de Watue. De injuriis in illam illatis a quodam Waltero de Provendir, et de minis sancte sedis in ipsum.

Universis Christi fidelibus ad quos presens pagina pervenerit, I(nghelrammus), 1207.
Dei gratia abbas Bergensis, et B(alduinus), prepositus et B. decanus ecclesie sancti Petri Casletensis, salutem in Verbo salutari. Notum vobis facimus, quod cum Ghelinus, quondam comitis Philippi serviens, quandam partem decime in Watuwa, quam propria pecunia sua emerat, per manum Willelmi filii Ysaac de

Flamertingha, de quo eam idem Ghelinus in feodum tenuerat, ecclesie Yprensi pro remissione peccatorum suorum in elemosinam tradidisset, quidam miles Walterus Provendir nomine post mortem ipsius Ghelini, causa cujusdam propinquitatis, scilicet quod sororem ejus duxerat, prefatam decimam contra jus invasit et sibi violenter vendicavit. Cumque canonici Yprenses tam manifestam injuriam ferre non possent, et laicalem justiciam propter indomabilem terre Furnensis werram (1) nullatenus expectarent, violentiam sibi illatam sedi apostolice insinuare studuerunt. Dominus vero papa judicibus Cameracensibus, videlicet abbati sancti Autberti et magistro A. decano ecclesie sancte Marie, et magistro R. de Bekerel causam hanc canonico jure commisit terminandam. Cum igitur predictus miles W(alterus) pro hac causa multociens in eorum presentia citatus fuisset et nequaquam juri stare voluisset, per annum et diem et amplius ab eis fuit auctoritate apostolica excommunicatus et omnes ei scienter communicantes. Cum ergo eadem decima ecclesie Yprensi per eosdem judices fuisset adjudicata, et ecclesia fuisset in veram ipsius decime missa possessionem, nec tamen prefatus miles ab injuria sua vellet desistere, canonici item ad curiam Romanam miserunt, ut sententia tamdiu lata a summo pontifice confirmaretur. Iterum dominus papa scripsit aliis judicibus, episcopo scilicet Atrebatensi et de monte sancti Eligii et de Mareolo abbatibus, ut sententiam priorum judicum in militem et ei communicantes latam auctoritate apostolica confirmarent nec eam ullo modo relaxarent, donec ecclesie Yprensi et canonicis super illatis injuriis fuisset satisfactum. Scripserunt ergo nobis dominus Atrebatensis et conjudices sui, ut reginam Flandrie (2), in cujus terra supradicta decima jacet, conveniremus et auctoritate apostolica moneremus, quatinus sepedictum militem a stulticia sua compesceret, et canonicos Yprenses in pace decimam ipsam faceret possidere; quod si regina monitis apostolicis nollet obedire, totam terram ipsius sub interdicto poneremus. Regina vero monitis salutaribus obediens, W(alterum) militem et uxorem ejus convocavit et diligenter ammonuit, ut sententiam tam longo tempore in ipsos latam formidantes ab injusta possessione desisterent, et canonicos super decima sua gaudere permitterent. Ipse autem W(alterus) miles et uxor ejus, habito prudentum virorum consilio, et bono spiritu inducti se peccasse et predictam decimam injuste possedisse et nil juris se in ea habere palam confessi sunt, et quod supradictus Ghelinus ipsam Yprensi ecclesie legitime contulit, ore proprio cognoverunt, et quod amplius nichil in ea clamarent, nec aliquid mali seu doli, vel per se vel per alios, in ecclesiam Yprensem vel ipsius ecclesie canonicos vel ministros in perpetuum machinarent; si etiam aliquem scirent in ipsam ecclesiam velle malignari, ipsi bono zelo resisterent; si vero non possent resistere, canonicis Yprensibus hoc bona fide indicarent, in presentia Philippi Namurcensis marchionis et regine Flandrie et baronum terre, nobis etiam astantibus juraverunt. Ut igitur

(1) La guerre des Blavoetins et des Igrikins.
(2) La reine Mathilde.

sicut nobis presentibus gesta sunt, immota permaneant et a tenoris sui constantia non recedant, ipsam rem, sicut gesta est, litterarum presentium attestatione proposuimus eternare, et sigillorum nostrorum auctoritate roborare. Actum anno Domini M°. CC°. VII°. Bergis, in domo regine, hiis testibus : Philippo Namurcensi marchione, regina. Flandrie, Adam castellano de Bergis, Willelmo de Bergis, Herberto de Furnis, Willelmo Scolebone, Barat de Trepi, Ywano de Lensela, Gilberto castellano Insulensi, Nicholao de Ermentiers, magistro Daniele Pelagio, Nicholao de Brabant, Nicholao decano Bergensi et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 106, et *Registr. Novum*, fol. 85.

67.

Littera assignationis super x. mensuras terre et unam prati in Flamertinghe, pro quadam parte decime de Watue empte a nobis.

Universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, ad quos presens pagina pervenerit, Michael de Harnes in Domino salutem. Universitati vestre notum facio, quod Yprensis ecclesia quatuor libras, quas annuatim Willelmo de Flamertinghe reddere tenebatur, pro redemptione hominii et servicii que ei debebantur de quadam parte decime in Watuwa, quam Ghelinus, quondam comitis Philippi serviens, ab ipso Willelmo in feodum tenuerat, pro quinquaginta libris sibi ab eodem Willelmo jure perpetuo comparavit. Si autem aliquando contigerit ipsam ecclesiam ab aliquo ex heredibus Ghelini super eadem decima injuriam pati, ipsa ecclesia de quadam cultura predicti Willelmi, que decem mensuras terre continet, et de una mensura prati quatuor libras tamdiu percipiet annuatim, quamdiu injuriam patietur. Jacet autem illa cultura, super quam facta est assignatio supradicta, in Flamertinghe, inter ecclesiam et domum ipsius Willelmi, juxta stratam a parte meridionali; pratum autem non longe a cultura. Talis etiam conditio intervenit, quod si sepedictus Willelmus vel quicumque terram predictam et pratum possederit, eidem ecclesie, si aliquis ei, ut dictum est, ex heredibus Ghelini super predicte decime fructibus injuriam irrogarit, in festivitate omnium sanctorum quatuor libras illas non solverit, ecclesia illo anno fructus tocius culture et prati libere percipiet, et singulis etiam annis, quousque fructus decime libere possederit. Ego autem, quia supradicta cultura et pratum in comitatu meo jacent, et hec compositio coram hominibus et scabinis meis legitime facta fuit, huic contractui et manum apposui et assensum, et ut ratus et stabilis permaneret, presentium litterarum et sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septimo, hiis testibus : Wilgemoto, Willelmo Sauda, Terrico Morel, Willelmo filio Rolde, Symone de Cruce, scabinis; Ghileberto filio Rengerii justiciario, Roberto milite de Nova Ecclesia, Christiano Ave de Ypra, Jordano filio Hemerici et aliis quam pluribus. 1207.

Registr. Rubrum, fol. 59.

68.

Que bona ecclesia recipit pro missa a canonico celebranda in hospitali super forum, et de oblationibus.

1208. Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod cum inter nos H(eliseum) prepositum predecessoresque nostros et capitulum Yprensis ecclesie ex una parte, et nos scabinos et burgenses ex altera, super capellano in capella hospitalis infirmorum, quod est in foro Yprensi, instituendo diu fuisset controversia ventilata, tandem post multas altercationes et expensas, de utriusque partis voluntate communi et consensu domini Tornacensis episcopi suorumque conjudicum, quibus dominus papa ipsum negocium delegarat, et aliorum prudentum virorum consilio, facta est compositio in hunc modum. Ecclesia videlicet sancti Martini capellanum cum ministro in prefata capella de proprio sumptu statuet, qui in ipsa tam diurnum quam nocturnum perpetuo persolvet officium. Qui capellanus, post missam cotidie et post vesperas ad minus, et sepius si necesse fuerit, infirmos visitabit et post vesperas ad claustrum revertetur et ibidem pernoctabit. Quidquid autem in predicta capella oblatum fuerit, ecclesia sancti Martini cum omni integritate percipiet, sicut in ecclesia beati Jacobi, exceptis candelis. Que candele ubicumque oblate fuerint, sive ad manum sacerdotis sive ante ymagines vel alibi, omnes dimidiabuntur, quarum altera pars ecclesie sancti Martini erit, altera vero infirmorum ibi jacentium usibus reservabitur. Fratres vero hospitalis omnia que in capella ad divinum officium explendum necessaria fuerint, providebunt. Unam nolam si voluerint habebunt, et si plures habere voluerint, duas nec plures habere poterunt. Cum autem aliquem fratrum vel infirmorum mori contigerit, in sepedicta capella pro anima ipsius missa celebrabitur, et post missam corpus in atrio sancti Jacobi fidelium more sepelietur. Quia vero necesse habet ecclesia sancti Martini unum amplius quam solebat habere canonicum predicte capelle specialiter deputatum, nos scabini et burgenses et maxime Jordanus, filius Bartholomei, nolentes gratiam, quam nobis in hac parte predicta fecit ecclesia, ipsi cedere in gravamen, sextam fere partem decime de Boesinga de manu laica redemptam, ecclesie Yprensi restituimus, ad quam ratione personatus pertinebat de jure. Quod ut ratum permaneat et ad posterorum noticiam perveniat, presentem paginam in testimonium rei geste sigillorum nostrorum attestatione duximus muniendam. Actum anno Domini M°. CC°. octavo, hiis testibus: Galtero decano, Willelmo Spiritu, Waltero de Poperinga, Johanne Paschali, Willelmo filio Balduini, Egidio, Dyonisio, Waltero Stouting, Lamberto de Ghelua, Ingheberto, Petro, Nicholao, Frumaldo, Lamberto, Alano sacerdotibus, Gilleberto, Willelmo dyaconibus, Johanne, Johanne, Henrico, Michaele, Johanne Buc, Thoma et Thoma subdiaconibus canonicis sancti Martini; scabinis vero Johanne Medem, Johanne Waghenare, Michaele Rugghinvoet, Michaele Bouderaven, Michaele Scinkel, Therrico de Agro, Willelmo Pilre, Lamberto Boudri,

Lamberto Falais, Lamberto Voet, Lamberto Plotkin, Waltero Maio, Alelmo filio Walteri; oppidanis autem Willelmo clerico, Cristiano Ave, Waltero de Scotis, Jordano filio Bartholomei, Michaele Scavin, Everardo Boem, Lamberto Medem, Nicholao fratre ejus, Lamberto Buc clerico scabinorum et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 4, et courte analyse en flamand au *Registr. Nigrum*, fol. 70.

Aux archives de la ville d'Ypres : original sur parchemin, portant le sceau de l'église de Saint-Martin, avec contre-scel, et le sceau des echevins et des bourgeois d'Ypres (1); transcription au *Wittenboek*, fol. 94, et au *Geluwenboek*, fol 60.

Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 20 (analyse et noms des témoins).

69.

Littere scabinorum Yprensium de Johanne, filio Erlebaudi, de xxv. marcis.

1209. Nos scabini Iprenses notum facimus omnibus presentem paginam inspecturis, quod Johannes, filius Erlebaldi, debet preposito sancti Martini Iprensis viginti quinque marcas duos solidos pro lodo ad libitum ipsius prepositi persolvendas. Pro hiis autem marcis ipse Johannes dedit preposito in vadio subscriptos redditus: videlicet in mansura Clais medici xij. solidos, et in mansura Lamberti Pottere et Salomonis xxv. solidos, et in mansura Reinoudi Capelle ix. solidos, in mansuris autem ante portam suam iiij. libras; tali conditione, ut si prefatus Johannes nominatum argentum preposito ad voluntatem suam non persolverit, ipse prepositus predictos redditus habebit, donec ipse preposito de prefata summa argenti satisfecerit. Actum anno gratie M°. CC°. nono, hiis testibus: scabinis Michaele Scavin, Alelmo de Lapide, W°. Medem, Everardo filio Reine.

Registr. Rubrum, fol. 92.

70.

De decima de Boesinghe, scilicet de tercia parte empta a Michaele f. Erlebaldi.

1208-9. Mars. et 1210 Novembre. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Rogerus, castellanus Insulensis, notum fieri volo tam futuris quam presentibus presentem paginam inspecturis, quod cum Michael, filius Herlebaldi villici de Ypra, quamdam decimam de Boesingha, scilicet tertiam partem tocius decime de Boesinghe,

(1) « Ces sceaux, dit M. Diegerick, *Inventaire*, t. I, p. 20, sont d'une admirable conservation... Le sceau de l'église de Saint-Martin a ceci de particulier, que son contre-scel a été fait d'une pierre antique gravée, représentant une tête tout-à-fait semblable à celle de l'impératrice Faustine. On voit à l'entour de la pierre l'empreinte du métal qui l'enchâsse. Ce contre-scel a pour légende *Custos Secreti*. La gravure du contre-scel contraste singulièrement avec celle du sceau. »

quam de me in feodum tenuerat, ecclesie Yprensi, ad quam ratione patronatus pertinebat de jure, pro quingentis marchis et decem vendidisset, ipse Michael et Aaliz uxor ejus in mea presentia constituti eamdem decimam et quidquid in ea juris habebant, coram hominibus meis in manus meas resignaverunt. Querens igitur ab hominibus meis, si prefatus Michael et uxor ejus vel heredes eorum aliquid in ea juris de cetero possent reclamare, dixerunt per judicium nec ipsos nec heredes eorum aliquid in ea imperpetuum juris habere. Ego autem, ob remedium anime mee et antecessorum meorum, pro anniversario etiam patris in illa ecclesia celebrando, ecclesie Yprensi eamdem decimam imperpetuum libere possidendam in manus domini Hugonis, Yprensis prepositi, donavi. Ad majorem autem cautelam ipse prepositus et omnes presbyteri qui presentes huic donationi fuerunt, rogatu meo et ipsius Michaelis et uxoris ejus et fratrum ipsorum, acceptis stolis excommunicaverunt omnes et singulos qui ecclesiam Yprensem super eadem decima de cetero perturbarent, vel vim aliquam sive molestiam eidem ecclesie irrogarent. Actum anno Domini M°. CC°. octavo, mense marcio, apud Phalempin, hiis testibus: Richero priore de Phalempin, Johanne de Lens canonico ejusdem ecclesie, Tiscelino presbytero de Senghin, Willelmo presbitero de Ostricort; militibus Egidio de Egremurt, Rogero de Ploichio, Gontero de Astiches, Rogero de Walteri Sarto, Hugone de Wastines, Ancelmo de Arbrora et aliis quampluribus. Date autem fuerunt littere iste anno Domini M°. CC°. decimo, mense novembri, quia tunc quando donavi decimam, sigillum proprium non habebam, hiis testibus: Johanne abbate de Phalempin, Balduino de Wermele, Waltero fratre ejus, Willelmo de Wulveringhem, Egidio de Maghelin, Andrea de Ploichio et aliis quampluribus.

Registr. Rubrum, fol. 61.

71.

Hic tam fratres quam sorores et filii Michaelis juraverunt hoc servare, et convadium dederunt xx. librarum redditus.

Vers 1210. Noverint universi presentem cartam inspecturi Michaelem et Adeliz uxorem ejus super bonam crucem jurasse, quod bona fide et absque dolo juvabunt ecclesiam Yprensem, ut libere possideat decimam de Boesingha, quam ipsi ecclesie vendiderunt. Hoc idem juraverunt fratres ipsius Michaelis, Johannes et Erlebaldus, et fratres Aelis uxoris ejus, Philippus et Robertus, et filius fratris ipsius, Henricus de Nova Ecclesia. Deinde coram scabinis Yprensibus et scabinis ville et coram justiciariis et hominibus tam comitis quam castellani Yprensis cognoverunt, ut ecclesia liberius ipsam decimam possideat, quod ipsi debent ecclesie dare privilegium castellani Insulensis, de quo ipse Michael hanc decimam in feodum tenuerat. Debent etiam adducere filios suos, cum ad annos discretionis pervenerint, coram castellano Insulensi, ad renuntiandum ipsi decime

et ratam habere venditionem ejus. Insuper debent ecclesie dare scriptum heredis Flandrie, tali conditione ut si ecclesia illud habere voluerit, prepositus dabit prelato Michaeli decem marchas et ipse Michael illud ecclesie per expensam suam habere faciet. Preterea ipse Michael debet ecclesiam liberam tenere a calumpnia cujusdam dotis, quam ipse uxori sue dicitur fecisse, et ab omni alia calumpnia quam ecclesia causa decime habere poterit, quamdiu Aelis uxor ejus vixerit, et donec omnia que scripta sunt adimpleverit. Ut ergo ecclesia securior sit quod hec omnia ipse Michael implebit, dedit ecclesie in vadio ccc. marcas, quas ecclesia ipsi debuit de predicta decima, tali conditione ut si ipse poterit interim ecclesie satisfacere vel per fidejussores vel per alios redditus competentes, ipsa ecclesia tenebitur ei ccc. marchas persolvere. Dedit etiam ecclesie in vadio per manum uxoris sue viginti librarum redditus, quos assignavit super viginti quinque mensuras terre, quas ipse habet in Boesinga, et super decem et novem mensuras terre Erlebaldi fratris sui, quas ipse Erlebaldus per manum uxoris sue ecclesie pro ipso assignavit, que terra jacet post curtem Erlebaldi juxta comitaturam nostram apud Obstal, et super xiij. mensuras terre Johannis fratris sui, quas etiam ipse Johannes per manum uxoris sue simili modo assignavit, que terra jacet ante curtem Erlebaldi patris ipsorum. Hec autem omnia tali conditione assignata sunt, ut si ecclesia aliquod dampnum vel gravamen super prefata decima vel ipsius causa incurreret, ipsa ecclesia super predictas ccc. marcas et super terram prefatam ipsius Michaelis et super terram Johannis et Erlebaldi, fratrum suorum, dampnum suum recuperaret. Sciendum preterea quod, licet ipse Michael hec omnia adimpleverit, predicti redditus et predicte trecente marche ecclesie in vadio remanebunt, quamdiu uxor ipsius Michaelis vixerit. Hii sunt testes qui interfuerunt huic conventioni: Willelmus de Coudscura et Folbertus, justiciarii comitis et castellani; Johannes Waghenare, Terricus de Agro, Alelmus filius Walteri, Michael Bouderaven, Willelmus Pilre scabini Yprenses; Galterus Scabinus, Everardus filius Alburgis, Willelmus filius Balduini, Petrus de Colle, Johannes filius Petri, scabini ville; Willelmus clericus, Christianus Avis, Galterus de Staden, Galterus de Scoten, Johannes de Scoten.

Registr. Rubrum, fol. 61.

72.

Hic de cc. marchis assignatis per scabinos nobis.

Nos scabini Iprenses notum facimus omnibus presentem cartam inspecturis, Vers 1210.
quod Johannes, filius Erlebaldi, assignavit preposito sancti Martini Iprensis ducentas marcas super hereditatem suam, quam habet infra villam Iprensem, videlicet supra mansuram, quam Alanus filius Balduini inhabitat, xxvij. solidos, et supra mansuram proximam versus meridiem j. marcam, et supra mansuram proximam versus occidentem j. marcam, et supra mansuram, quam inhabitat Arnaldus

Brouhere, j. marcam; et si inde aliquid defuerit, totam hereditatem suam invadiavit preposito ad supplecionem. Hec autem assignatio tali conditione facta est, ut si frater ipsius Johannis dominus Michael preposito pactum suum, quod ipsi facere promisit, non impleverit, prepositus supra prefatam terram Johanuis predictas ducentas marcas recuperabit. Scabini isti huic pacto interfuerunt: Johannes Medem, Johannes Waghenare, Lambertus Boudri, Willelmus Pilre, Michael Bouderaven, Michael Scinkel, L. Falais, L. Plotekin, Alelmus filius Walteri et Therricus de Agro.

Registr. Rubrum, fol. 92.

73.

Confirmatio domini pape super canonicis in parochialibus ecclesiis de Ypra ponendis et removendis.

1211. 4 Janvier. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Yprens. salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos et bone memorie L[ambertum] episcopum et capitulum Morinense super canonicis Yprensibus in parochialibus ecclesiis de Ypra ponendis et exinde removendis ac quibusdam aliis articulis amicabiliter initam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, necnon et autenticis super hoc litteris confectis clarius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II°. nonas januarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Registr. Rubrum, fol. 112.

74.

Privilegium ab Innocentio papa abbati nostro concessum absolvendi canonicos sese percutientes.

1211. 5Janvier. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio.. abbati Yprensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet a felicis memorie Alexandro papa predecessore nostro fuerit constitutum, quod monachi et canonici regulares, quocumque modo se in claustro percusserint, non sint ad apostolicam sedem mittendi, sed secundum discretionem et prudentiam abbatis sui discipline subdantur,

et si abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia est dyocesani episcopi adhibenda, et alibi dicat, quod de seculo fugientes qui religionis habitum in monasteriis receperunt, et inter cetera postmodum confiteantur se tale commisisse delictum, quod pro ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Romani pontificis abbas non potest nec debet eos absolvere, quamvis presumptionem delinquentium debita possit animadversione punire, nos tamen in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, uberiorem eis gratiam exhibere volentes, quod etiam talibus absolutionis beneficium impertiri valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus, nisi excessus eorum extiterit ita difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis sit processum, aut in episcopum vel abbatem violenta sit manus injecta, cum excessus tales et similes nequeant sine scandalo preteriri. Si vero claustralis aliquis in religiosam personam alterius claustri manus injecerit violentas, per abbatem proprium et ejus qui passus est injuriam absolvatur. Quod si clericum percusserit secularem, non nisi per apostolicam sedem, ut scandalum evitetur, absolutionem poterit promereri. Si autem et hos ad ordines promoveri contigerit, juxta premissam distinctionem, qui scienter in contemptu ecclesiastice discipline se fecerint ordinari, ab executione suscepti ordinis et officii decernimus manere suspensos. Circa reliquos facti memoriam vel juris peritiam non habentes, monasterii tui utilitate pensata, post injunctam regularem penitentiam et peractam poteris dispensare, nisi grave fuerit et notabile factum, aut is qui fecit adultus fuerit et discretus, ut violenter et valide contra oblivionem vel ignorantiam presumatur. Provideas autem ut formam istam diligenter observes, ne privilegium merearis amittere, si permissa tibi abuteris potestate. Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Registr. Rubrum, fol. 139 et fol. 142. Deux copies (1).

75.

Littere domini R(oberti) de Calone super quadam parte decime de Calone nobis vendite, resignate et date.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Robertus de Calona notum facio omnibus presentem paginam inspecturis, quod cum Johannes Colebaus quandam partem decime de Calona, quam de me tenuerat in feodum, consentiente uxore sua et manum apponente, Yprensi ecclesie vendidisset, et eam in manus meas coram hominibus meis paribus suis et scabinis ad opus ejusdem ecclesie legitime resignasset, et iidem homines mei legitime conjurati dixissent per judicium, quod legitime et libere illam possem ipsi conferre ecclesie, ego eandem 1212. Novembre.

(1) Nous donnons le texte du fol. 139. Celui du fol. 142 paraît moins correct et omet une phrase.

decimam ob remedium anime mee in elemosinam contuli ecclesie memorate; cum omni jure quod in ea videbar ratione dominii obtinere. Ipse vero Johannes et uxor ipsius spontanea voluntate interposuerunt fidei cautionem, quod ecclesiam sepedictam super eadem decima nullo unquam modo de cetero molestarent. Ut autem hec mea donatio firma in perpetuum permaneret, cum proprium non haberem sigillum, supplicavi domino Attrebatensi episcopo, ut presentem paginam sigilli sui dignaretur appensione munire. Actum anno Domini M°. CC°. XII°. mense novembri, hiis testibus: Roberto presbytero de Calona, Thoma canonico Yprensi, magistro Arnulfo, Willelmo de Squerdes milite, Johanne de Foskiers, Berardo Parvo, Berardo Magno, Thoma de Fleternes, Ancelmo Cardon, Willelmo de Beles Aises, Willelmo Pineleu, Galtero Plankele, Johanne Cardon, Gerardo de Atrio, Fulkero le Poivre, Arnulfo de Petra, Juliano Lalvernia, Roberto Casier, Willelmo Narvete et aliis pluribus.

Registr. Rubrum, fol. 82.

76.

Littere episcopi Attrebatensis super eadem decima.

1212. Novembre. R[adulphus], Dei gratia Atrebatensis ecclesie sacerdos humilis, omnibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Robertus de Calona et Johannes Colgebaus in nostra presentia constituti recognoverunt quod idem Johannes de consensu uxoris sue quandam partem decime de Calona, quam in feodum tenuerat de ipso Roberto, Yprensi ecclesie.... (1) legitime judicassent, quod haberet liberam potestatem prefate illam ecclesie conferendi legitime, ipsam decimam eidem ecclesie contulit cum omni jure quod videbatur in ea ratione dominii obtinere, et ad majorem cautelam recipi fecit a predictis Johanne et uxore ipsius fidei cautionem, quod nunquam super decima illa prefatam ecclesiam molestarent. Quia vero Robertus ipse proprium non habebat sigillum, a nobis petiit ut confectum super hoc ipsius nomine instrumentum sigilli nostri vellemus appensione munire. Cum igitur uterque illorum recognovisset hec omnia coram nobis, et sepedictus Johannes de non molestanda ecclesia iterato fidem in nostra presentia prestitisset, nos et ipsius Roberti litteris sigillum nostrum appendimus et quod factum fuerat, presentis scripti patrocinio duximus confirmandum. Actum anno Domini M°. CC°. XII°. mense novembri, hiis testibus: Pontio archidiacono, magistro Roberto cantore, magistro Herberto canonico Atrebatensi et aliis pluribus bonis viris.

Registr. Rubrum, fol. 82.

---

(1) Ici le copiste a omis quelques lignes, dont le sens est facile à suppléer par la pièce qui précède.

77.

Littere judicum a domino papa delegatorum, qui confirmaverunt pacem super capella et capellano leprosorum.

Universis presentes litteras inspecturis H[enricus], Morinensis ecclesie Flandrensis archydiaconus, H[ugo] Watinensis, L[ambertus] Formozellensis prepositi, salutem in salutis auctore. Cum nobis auctoritate domini pape fuisset commissum, ut compositionem inter Yprensem ecclesiam ex una parte, et domum leprosorum Yprensium, scabinos etiam et burgenses ex altera, super capella et capellano leprosorum ipsorum amicabiliter celebratam, sicut sine pravitate provide facta esset et ab utraque parte sponte recepta, faceremus per censuram ecclesiasticam firmiter observari, nos accedentes ad locum invenimus questionem que inter dictam ecclesiam et memoratos leprosos super premissis diutius fuerat agitata, de voluntate partium et consensu etiam scabinorum et burgensium loci, qui leprosis ipsis in causa eadem pro posse suo astiterant, per bone memorie Lambertum, quondam Morinensem episcopum dyocesanum ipsorum, amicabili ad ultimum compositione sopitam hoc modo. Memoratus episcopus capellam dictorum leprosorum pro bono pacis in principio dedicavit, statuens ut unam medietatem sumptuum ad dedicationem pertinentium ecclesia prefata persolveret et alteram ipsi leprosi; et omnes oblationes sive in altari, sive in medio ecclesie, vel etiam foris a fidelibus ibidem oblatas, ab initio dedicationis usque ad novissimum indulgentie sue diem, equali participatione ecclesia ipsa divideret cum leprosis. Singulis etiam annis in anniversario dedicationis die expensas ad ornatum solempnitatis spectantes equaliter persolvent et oblationes inter se equaliter distribuent. Oblationes etiam, quas pro leproso mortuo, vel fratre de domo ipsa victum et vestitum habente, in capella predicta ad missam animarum haberi contigerit, similiter dividentur. In parasceve autem quicquid ad adorandam crucem post inchoatum servitium oblatum fuerit, ecclesia sola percipiet; quidquid ante servicium in capella obvenerit, soli leprosi. Relique vero oblationes per totum anni circulum absque aliqua diminutione ad ecclesiam pertinebunt. Presbyterum autem qui in ecclesiasticis officiis et visitationibus leprosis diligenter assistat, ecclesia Yprensis de suo proprio providebit. Cum igitur nobis legitime constitisset compositionem hujusmodi sine pravitate provide factam et a partibus sponte receptam fuisse et amicabiliter observatam, nos de bonorum virorum consilio, auctoritate predicta eam duximus confirmandam, excommunicantes omnes illos, qui scientes hoc factum nostrum compositioni eidem de cetero presumerent contraire. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo. 1212.

Registr. Rubrum, fol. 18.

78.

Nota de pace super capella hospitalis in foro, et super oblationibus et vestimentis et confirmatione pacis.

1212. Universis presentes litteras inspecturis H(enricus), Morinensis ecclesie Flandrensis archydiaconus, H(ugo) Watinensis, et L(ambertus) Formozellensis prepositi, salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum esse, quod cum nobis a domino papa fuisset commissum, ut compositionem inter Yprensem ecclesiam ex una parte, et pauperes hospitalis quod situm est in foro Yprensi ex altera, super capellano instituendo in capella ipsorum, amicabiliter celebratam, sicut sine pravitate provide facta esset et ab utraque parte sponte recepta, faceremus per censuram ecclesiasticam firmiter observari, nos accedentes ad locum invenimus questionem que inter predictam ecclesiam et pauperes memoratos super capellano, quem idem pauperes petierunt, diutius fuerat agitata, de consensu scabinorum et burgensium loci, qui plurimum laboraverant, ut ipsi pauperes capellanum haberent, tali ad ultimum compositione sopitam. Ecclesia Yprensis pauperibus et infirmis hospitalis prescripti capellanum debet propriis sumptibus providere de suis canonicis, et clericum qui ei ministrare poterit ad altare; qui in capella ipsorum tam nocturnum quam diurnum officium celebrabit, et bis in die, post missam videlicet et post vesperas, vel sepius etiam, si necesse fuerit, hospitalis ipsius visitabit infirmos. Comedet autem in refectorio beati Martini cum fratribus et concanonicis suis, et in dormitorio dormiet cum eisdem. Quicquid autem in prefata capella oblatum fuerit a fidelibus, ecclesia beati Martini cum integritate percipiet, exceptis candelis; que, ubicunque sive ad manum sacerdotis sive ante ymagines vel alibi oblate fuerint, dividentur ex equo, et mediam partem habebit ecclesia, mediam autem pauperes hospitalis ad opus infirmorum suorum. Vestimenta autem sacerdotalia et omnia que ad celebrationem divinorum sunt necessaria, sibi pauperes ipsi providere debebunt. Campanas autem habere non poterunt, nisi duas tantummodo, si voluerint, nolas, et hunc numerum non excedent. Quociens autem aliquem fratrum sive infirmorum hospitalis ipsius mori contigerit, pro anima ejus missa celebrabitur in capella ipsorum, et post missam corpus sepeliendum ad cimiterium sancti Jacobi deferetur, in cujus parochia ipsum situm est hospitale. Cum igitur nobis legitime constitisset compositionem hujusmodi sine pravitate provide factam et a partibus sponte receptam fuisse et amicabiliter observatam, nos eam de bonorum virorum consilio auctoritate nobis commissa duximus confirmandam, excommunicantes omnes illos, qui scientes hoc factum nostrum compositioni eidem de cetero presumerent contraire. Actum anno Domini M°. CC°. duodecimo. Hec est duplex.

Registr. Rubrum, fol. 4.

79.

Hic confirmatio comitis et comitisse super tercia parte tocius decime do Boesinghe.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Fernandus, Dei gratia comes, et ego Johanna, comitissa Flandrie ac Hanoye, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod Michael, filius Erlebaldi, et Adeliza, uxor ipsius, accedentes ad nos nobis humiliter supplicarunt, ut terciam partem decime de Boezingha, quam ipsi de castellano Iusulensi et castellanus ipse de antecessoribus nostris cum reliquo feodo suo tenuerat, Yprensi ecclesie, ad quam jure patronatus spectabat, ab ipsis de consensu memorati castellani legitime venditam eidem ecclesie confirmaremus. Nos igitur venditionem illam gratam habentes et ratam, predictam decimam confirmavimus ecclesie prelibate, sicut ei confirmata fuit prius a castellano prescripto, prout in ejus autentico continetur; et pro remedio animarum nostrarum et antecessorum nostrorum liberum et quitum clamavimus, si quid juris habebamus in ea ratione dominii. Quod ut ratum et firmum permaneat, presentem paginam sigillorum nostrorum appensione munivimus. Actum anno gratie millesimo ducentesimo tertio decimo, mense decembri. 1213. Décembre.

Registr. Rubrum, fol. 62.

80.

Littera qua Henricus de Nova Ecclesia vendidit bene et legaliter Michaeli militi, filio Herlebaldi, totum buschum suum de Poevelt, preter xxv. bunarios busci.

Ego Henricus de Nova Ecclesia notum facio omnibus presentem paginam inspecturis, quod ego vendidi et legitime donavi, uxore mea Ysabella et Gerardo fratre meo assentientibus et manum apponentibus, Michaeli militi, filio Herlebaldi, totum buschum meum de Poevelt, preter xxv. bunarios buschi et wallum et wastinam jacentem ante wallum. Hoc autem factum est per manum Ferrandi, comitis Flandrie et Haynoie, et Johanne, uxoris sue. Insuper dedi predicto Michaeli hostagios, Balduinum Seniorem et Balduinum Juniorem de Cominis, et Walterum de Formenzellis, et Philippum de Nova Ecclesia, et Robertum de Nova Ecclesia, et Ghilebertum de Fleneka, et Walterum de Werfka, tali conditione quod ipsi defendere debeant, si aliquis voluerit injuriam vel molestiam vel aliquod gravamen inferre eidem Michaeli de prefata terra. Ut hoc autem ratum maneat et stabile, ego presentem paginam, cum quibusdam hominum predictorum sigillis, meo sigillo et testium subscriptorum annotatione roboravi. Testes: Ratius Senior de Gavere, Terricus de Beverne, Egidius de Barbereson, Ghilebertus de Borghele, Gerardus de Roden, Daniel de Curtraco, Walterus de Zomeringhem, Vers 1213.

Egidius de Hasselt, Sigerus de Moscra, Philippus de Herenjau, Gilebertus de Fleneka, Walterus de Werveka, Philippus de Nova Ecclesia, Robertus de Nova Ecclesia, Boidinus de Wincla, Haruinus de Huln.

Registr. Rubrum, fol. 47, et *Registr. Novum*, fol. 187.

81.

Hic apparet quod hospitale de foro est subjectum preposito in spiritualibus.

Vers 1213. R[obertus], servus crucis Christi divina miseratione, tituli sancti Stephani in Celio monte presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilecto in Christo preposito Yprensis ecclesie salutem in Domino. Significatum est nobis, quod fratres hospitalis infirmorum, quod situm est in foro Yprensi, licet de communi vivant et competentes ad hoc habeant facultates, dissimiliter tamen vivunt et Remensis concilii constituta non servant. Quidam enim ex eis uxores non habent et continent; alii uxores habent, et non minus, quam cum essent in seculo, operibus carnis vacant. Quidam religioso habitu et alii habitu seculari utuntur. Preterea tanta est ibi multitudo fratrum ac sororum sanarum, quod fere numerum infirmorum excedunt. Que omnia ex eo contingunt, quod prelatum non habent cui obediant, nec regulam secundum quam vivant. Cum igitur in Remensi concilio provida sit deliberatione statutum, ut tales domus prelatum habeant, cui fratres ipsarum obedientiam fidelem et devotam promittant, et competens eis vivendi regula statuatur, et alia que non sine periculo animarum a predicte domus fratribus omittuntur, sollicitudini tue curam ipsius domus in spiritualibus duximus commitendam, mandantes, ut fratres ipsos regulariter vivere, et Remensis statuta concilii diligenter ac reverenter facias observare, auctoritate legationis qua fungimur statuentes, ut tibi ac successoribus tuis imperpetuum fratres ac sorores ipsius hospitalis obediant, et vos potestatem habeatis corrigendi excessus eorum per competentis regule disciplinam, cum situm sit hospitale in parochia, cujus cura ad prepositurarn Yprensem noscitur pertinere.

Registr. Rubrum, fol. 1.

82.

In ista littera habetur quod per sententiam abbatum de Dunis et Furnis auctoritate apostolica pronunciatum erat, quod ipsi rectores ville Yprensis nullum habent jus ab ecclesia nostra extorquendi tallias sive aliquas exactiones.

1214. 14 Avril. Universis presentem paginam inspecturis frater P[etrus] de Dunis et frater H[enricus] de Furnis dicti abbates salutem in Domino. Scire volumus universitatem vestram, quod cum inter ecclesiam Iprensem ex una parte, scabinos et commune de Ipra ex altera, coram nobis auctoritate domini R[oberti], sancti Stephani in monte Celio presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, super qui-

busdam exactionibus et talliis, quas ab ecclesia ipsa extorquere idem laici nitebantur, fuisset questio ventilata, nos de bonorum virorum consilio pronunciavimus nullum eos extorquendi ab ecclesia exactiones aliquas vel tallias jus habere, et redditus ecclesie, quos ad opus faciendi fossati saisierant, sicut in judicio confessus fuerat procurator eorum, ipsi ecclesie judicavimus restituendos ab ipsis. Actum anno gratie M°. CC°. quartodecimo, XVIII°. kal. maii, in capitulo sancte Waltburgis Furnensis.

Registr. Rubrum, fol. 99, et *Registr. Novum*, fol. 2.

83.

Littera Michaelis Rugghinvoet quod donavit ecclesie de Gremberghe duas marchas redditus et dimidiam in mansura Willelmi de Angulo.

Omnibus presentem paginam inspicientibus ego Michael Rugghinvoet salutem in Domino. Universitati vestre notum fieri volo, quod ob remedium anime mee et uxoris mee Adelise contuli in elemosinam ecclesie de Gremberghe duas marchas et dimidiam redditus in mansura, quam tunc inhabitabat Willelmus de Angulo, que nec minui nec augeri poterunt; quarum dimidietas persolvi debet in medio martii et altera in festo beati Bavonis. Hujus facti testes sunt scabini Yprenses Rogerus de sancto Jacobo, Walterus Medem, Willelmus Beka, Willelmus filius Reimberti, Thomas Folkier, Salomon Sapiens, Theodericus de Agro, Johannes Plotkin. Et quoniam hanc donationem elemosine mee ratam volui esse imperpetuum et stabilem prefate ecclesie, eam sigillo scabinorum Yprensium feci corroborari. Actum anno incarnationis dominice M°. CC°. quarto decimo. 1214.

Registr. Rubrum, fol. 43, et *Registr. Novum*, fol. 70.

84.

Quod scabini ville Yprensis et tutores hospitalis supra forum se obligaverunt nunquam in predicto hospitali capellam edificare, altare erigere, campanam pulsare, divina mysteria celebrare, nisi de voluntate prepositi et capituli sancti Martini Yprensis.

Notum sit omnibus presentem paginam inspecturis, quod nos scabini et burgenses Yprenses inspicientes privilegium a predecessoribus nostris scabinis et burgensibus Yprensibus, super capella hospitalis sita in foro Yprensi, ecclesie beati Martini Yprensis concessum, invenimus in hac forma conscriptum et corroboratum.

Nos scabini Yprenses etc. (*Voir ci-dessus la pièce* n° 40.)

Nos igitur vestigia predecessorum nostrorum sequentes et per omnia jura ecclesie beati Martini Yprensis matris nostre integra conservare volentes, a predecessoribus nostris prudenter ordinata et sigillo ville confirmata laudamus et approbamus et 1215.

inviolabiliter observari decernimus; et ut ista firma et rata in perpetuum permaneant, presentem paginam sigillo ville Yprensis dignum duximus innovando confirmare. Actum anno Domini M°. CC°. XV°. hiis testibus: magistro Willelmo, Lamberto Buc, Willelmo Scuvel, magistro Hugone, Hugheloto justiciario Yprensi, Tirrico justiciario castellani et aliis multis.

Registr. Nigrum, fol. 53.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 329.

85.

Hic de filiis Erlebaldi et de c. solidis annui redditus juxta macellum.

1216. Mai. Nos scabini de Ypra notum facimus universis, quod cum Michael et Joannes, filii Erlebaldi, necesse haberent vendere terram que fuerat Arnulfi, fratris eorum defuncti, et hoc non possent, cum eadem terra Iprensi esset ecclesie obligata, dictus Michael pro terra eadem Iprensi ecclesie centum solidos annui redditus Flandrensis monete, qui proveniunt ex mansura, quam tenet ab eo Johannes Hanebout juxta macellum Iprense, obligavit eodem modo et eodem jure quo terra ei prius fuerat obligata, et sic prepositus et capitulum quitas clamaverunt decem mensuras terre memorati Johannis et totam terram predicti Arnulfi. Actum anno gratie M°. CC°. XVI°. mense maio, coram capitulo Iprensi, presentibus hiis scabinis: W. Tinbom, Lamberto Pede, Jacobo Roda, Willelmo f. Reimberti, Nicholao Arnoudin, Johanne Plotekin. Quod ut ratum et firmum permaneat, presenti scripto sigillum ville Iprensis appendi fecimus.

Registr. Rubrum, fol. 92, et *Registr. Novum*, fol. 72.

86.

Littera compromissionis tam de dampnis quam de talliis non extorquendis de redditibus ecclesie.

1216. Omnibus presentem paginam inspecturis H(ugo), ecclesie Yprensis dictus prepositus, et conventus et scabini ac commune de Ypra salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum inter nos prepositum et conventum ex una parte, et nos scabinos et commune ex altera, super dampnis illatis ecclesie tam in excisione nemorum quam effossione terrarum, coram domino Atrebatensi episcopo et conjudicibus suis auctoritate apostolica questio verteretur, tam de dampnis illis quam de quadam sententia super talliis non extorquendis de redditibus ecclesie per venerabiles viros de Dunis et de Furnis abbates prolata, de omnibus etiam aliis de quibus inter nos aliquando questio aliqua fuerat, de communi utriusque partis consilio et consensu compromisimus in venerabiles viros H(enricum), Flandrie archidiaconum, H(ugonem) de Watene et E(gidium)

de Lo prepositos, J(ohannem) Medem et H(ughelotum) Voos burgenses, ita quod ab utraque partium servabitur, quod isti quinque vel major pars ex eis statuerit observandum. Si vero altera partium ab illorum arbitrio voluerit resilire, quingentas libras Flandrenses in penam parti solvet adverse. Unde etiam utraque pars quinque fidejussores interposuit singulos pro centum libris. Pars ecclesie istos : Willelmum clericum, Johannem Medem, H(ughelotum) Voos, Jo. Aurigam, W°. Tunbom, pars vero ville eosdem. Si ergo ecclesia resilierit, fidejussores ipsius ville respondebunt de quingentis libris predictis. Similiter fidejussores ville respondebunt ecclesie, si per villam fuerit arbitrio contradictum. Nos autem de communi consensu reservavimus predictis judicibus potestatem cogendi arbitros ad negotium terminandum et partem resilientem ad penam solvendam prenotatam.

Registr. Rubrum, fol. 98.

Sur l'origine de cette contestation, voir les deux lettres adressées aux échevins et aux bourgeois d'Ypres en avril 1214 par le comte Ferrand, Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 23.

87.

[Sententia arbitrorum de premissis.]

Nos Henricus, Morinensis ecclesie Flandrensis archidiaconus, Hugo Watenensis et Egidius Loensis prepositi, arbitri cum Johanne Medem et Hugheloto Vos in causa, que vertitur inter Iprensem ecclesiam ex una parte, et commune de Ipra ex altera, super sententia per venerabiles viros Petrum de Dunis et Henricum de Furnis abbates prolata pro eadem ecclesia super immunitate ipsius a talliis contra dictum commune, item super dampnis que tam in effossione terrarum suarum quam in excisione nemorum et ablatione lignorum et lapidum ipsa ecclesia se sustinuisse proponit ab eodem communi, inspectis attestationibus que recepte fuerunt a domino Attrebatensi episcopo et conjudicibus suis delegatis a domino papa et utriusque partis jure plenius cognito, forma compromissi diligentius observata, communicato bonorum et prudentium virorum consilio, presentibus coarbitris nostris Johanne Medem et Hugheloto Voos, licet non consentientibus, arbitrando pronuntiamus sententie, quam Petrus de Dunis et Henricus de Furnis abbates tulerunt contra commune de Ipra pro Iprensi ecclesia, super ipsius ecclesie immunitate a talliis, standum esse, et commune de Ipra ad restituendum Iprensi ecclesie pro terris effossis quadringentas et triginta marcas, et pro querceto exciso apud Suthova ducentas marcas, et pro alneto exciso apud Santforda et pro lignis et lapidibus ablatis de claustro sexaginta tres libras per diffinitivam sententiam condempnamus. Actum ab incarnatione Domini anno M°. CC°. sextodecimo, decimo kal. marcii. 1216-17. 20 Fevrier.

Registr. Rubrum, fol. 99.

88.

Confirmatio pape super eodem.

Vers 1217. Honorius papa abbati sancti Auberti et archidiacono Cam(eracensi).. vobis mandans quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, faciatis observari. Quod si non omnis et cetera.

Registr. Rubrum, fol. 99.

Cette bulle n'est qu'indiquée; nous n'en trouvons pas le texte. Elle ne saurait être antérieure à 1216. Ce fragment est placé dans le cartulaire immédiatement après notre charte n° 82, et c'est dans ce sens qu'il faut comprendre le titre : *Confirmatio pape super eodem.* Vient ensuite la charte n° 87. La bulle se rapporte donc au même objet que les deux pièces dont nous parlons.

89.

Confirmatio domini pape super capella leprosorum et oblationibus.

1217. 26 Mai. Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini ville Yprensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos ex parte una, scabinos, burgenses ac leprosos ejusdem ville Morinensis dyoceseos ex altera, super capella et capellano ipsorum leprosorum et oblationibus ac ejusdem capelle proventibus amicabiliter initam, et per dilectos filios archidiaconum Morinensem et Watinensem et Formozellensem prepositos auctoritate apostolica confirmatam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ac in instrumento confecto exinde plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagnie, VII° kal. junii, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 19.

90.

Confirmatio domini pape de pace inita supor capella hospitalis et capellano.

1217. 27 Mai. Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini ville Yprensis salutem et apostolicam benedictionem. Justis

petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos ex parte una, et fratres ac pauperes hospitalis Yprensis Morinensis dyoceseos ex altera, super capella et capellano ipsorum fratrum et pauperum hospitalis predicti amicabiliter initam, et per dilectos filios archidiaconum Morinensem et Watinensem et Formozellensem prepositos auctoritate apostolica confirmatam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ac in instrumento confecto exinde plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagnie, VI°. kal. junii, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 5.

91.

Privilegium scabinorum quod terras nostras et redditus sine talliis conservabunt immunes.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos scabini et commune de Ypra notum fieri volumus tam presentibus quam futuris, quod cum inter nos ex una parte, et ecclesiam beati Martini ex altera, super talliis, quas terre ac redditus ipsius ecclesie solebant solvere infra scabinatum Yprensem, fuisset questio diutius agitata, tandem Rogerus de sancto Jacobo et Theodericus Arbor, propter bonum pacis reformande, decem libras supra mansuram in qua manet Riquardus Cupre in foro, juxta stratam Everardi Arboris, et supra mansuram in qua manet Lotinus Cupre in Honstrata, et supra mansuram que jacet juxta illam inter ipsam et domum Salomonis Sapientis similiter in Honstrata, et supra quartam partem mansure quam inhabitat Willelmus de Insula juxta atrium sancti Jacobi, et supra quartam partem mansure ubi manet Ghelinus in Honstrata, assignaverunt percipiendas, quociens tallie fierent aliorum reddituum et terrarum bona fide, ut sic ecclesiam a talliis solvendis in perpetuum liberarent. Et nos ecclesie creantavimus bona fide, quod terras suas et redditus infra scabinatum Yprensem servabimus in perpetuum sine rancore immunes ab omnibus talliis et indempnes. Si vero aliquis militum aut burgensium, quorum pro villa firmanda effosse sunt terre, aquam optinuerit in loco terrarum suarum, ecclesia similiter aquam in loco terrarum suarum sine contradictione habebit. Concessimus etiam ipsi ecclesie aqueductum accipiendum ubi voluerit, et sine devastatione habendum. Ipsa vero ecclesia propter hec nobis dimisit dampna que sustinuit tam in effossione terrarum suarum quam in excisione nemorum pro villa firmanda, et quingentas

1217. 17 Juin.

libras, quas petebat, eo quod non paruimus arbitrio inter nos et ipsam per venerabiles viros H[ugonem], Watenensem prepositum, et coarbitros suos prolato. Nos autem ipsi ecclesie bona fide promisimus, quod ei in omnibus negociis suis de cetero, quantum secundum Deum poterimus, fideliter assistemus, et ipsa ecclesia idem e converso nobis bona fide promisit. Ut igitur ista rata et firma in posterum permaneant, presentem paginam sigilli nostri appensione duximus muniendam, et ipsa ecclesia suum nichilominus appendit sigillum. Actum anno gratie M°. CC°. XVII°. quintodecimo calendas julii. Testes: Gerardus thesaurarius Morinensis, magister Arnulphus, magister Willelmus, magister Lamkinus clerici; Johannes Medem, Hughelotus Vos ballivus, Johannes Lupus, Johannes de Scotis, Lambertus Pes, W. filius Remberti, Everardus filius Reine, Johannes Auriga et plures alii.

Registr. Rubrum, fol. 99.

Aux archives de la ville d'Ypres: original portant le sceau des échevins et celui de l'église de Saint-Martin avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 1. Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 336; Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 24 (analyse et noms des témoins).

92.

Item privilegium quod hospites nostros non talliabunt scabini de terris et redditibus nostris.

1217. 17 Juin. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos scabini et commune de Ypra notum fieri volumus omnibus presentes litteras inspecturis, quod bona fide creantavimus ecclesie beati Martini Yprensis, quod hospites suos non talliabimus de terris et redditibus ejusdem ecclesie, nec eos plus quam ceteros (1) burgenses nostros gravabimus. Quod ut ratum et firmum in posterum permaneat, presentem paginam sigilli nostri duximus appensione muniendam. Actum anno gratie M°. CC°. septimo decimo, quinto decimo kalendas julii. Testes Hughelotus Vos ballivus, Johannes Medem, Johannes Lupus, Johannes de Scotis et alii plures.

Registr. Rubrum, deux copies, fol. 98 et fol. 100.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 338

93.

De duabus mensuris terre et tertia parte mensure apud Rumtre.

1218. Mai. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Johanna, Flandrie et Hanonie comitissa, notum facio tam presentibus quam futuris, quod cum

(1) Ce mot manque dans la copie fol. 100, qui est la plus soignée.

Willelmus de Warda cum uxore sua Margareta, et fratribus suis Galtero et Friulfo astantibus et consentientibus, pratum quod habebat juxta Ypram apud Rumtra, videlicet circiter duas mensuras et terciam partem mensure, quod a me tenebat in feodum, Yprensi ecclesie vendidisset, ipse Willelmus dictum pratum, ut ad prefatam ecclesiam cum omni jure quod in eo habebat legitime transferretur, retenta sibi tantummodo dimidia libra piperis, quam ei eadem ecclesia de prato ipso annuatim persolvet, in manus meas coram hominibus meis legitime resignavit. Ego. vero, ob remedium anime mee et predecessorum meorum, dictum pratum ipsi ecclesie liberaliter contuli liberum ab omni jure et ab omni servitio quod in eo mihi ratione dominii competebat. Quia vero habundans cautela non nocet, ad majorem securitatem ecclesie tam ipse W[illelmus] quam uxor sua Margareta et fratres Galterus et Friulphus in mea et hominum meorum presentia juraverunt, quod ecclesia ipsa super prato eodem nullam umquam per eos perturbationem aut molestiam pateretur. Ut autem hoc ratum et firmum imperpetuum permaneat, presentem paginam sigilli mei appensione roboravi, hiis testibus: Galtero de Formesella, Henrico de Morslede, Philippo de Gereniau, Thoma de Nova Ecclesia, Galtero de Sordon, Galtero Gonele, Johanne Medem et quibusdam aliis. Actum anno Domini M°. CC°. octavo decimo, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 107.

94.

Quod Michael et Robertus fratres, filii Michaelis de Ypra, in presentia castellani Insulensis, ratam et gratam habuerunt venditionem decime de Boesinghe.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Rogerus, castellanus Insulensis, notum facio omnibus presentibus et futuris quibus litteras istas videre contigerit, quod Michael et Robertus frater ejus, filii Michaelis de Ypra, cum jam ad legitimam pervenissent etatem, in nostra presentia constituti venditionem decime de Bosingha, quam pater eorum et mater de consensu meo et per manum meam, cum a me ipsam tenerent in feodum, ipsis adhuc infra puberes annos constitutis, Yprensi ecclesie vendiderunt, ratam habuerunt et gratam, et eidem decime coram me et hominibus meis renunciantes omnino, si quid eis juris in ipsa remanserat, quitum Yprensi ecclesie clamaverunt et hoc fidei interpositione creantaverunt, sub eadem interpositione fidei firmiter promittentes, quod de cetero ecclesia Yprensis nec per ipsos nec per heredes eorum occasione dicte decime dampnum sex denariorum incurreret. Quesivi igitur ab hominibus meis si prefati Michael et Robertus frater ejus vel heredes eorum aliquid in ea juris de cetero possent reclamare. Qui dixerunt per judicium nec ipsos nec heredes eorum aliquid juris de cetero posse reclamare in ea. Quod ut ratum et firmum permaneat in perpetuum, presentes litteras sigillo meo et testium subscriptorum adhibitione munivi. Nomina autem testium sunt hec: Heluinus presbyter de Senghin, Johannes

1219. Juin.

capellanus, Robertus clericus castellani, frater Walterus de Los, Rogerus de Engelos, Rogerus de Ploicio, milites, Andreas de Ploicio et Johannes Brodols et alii quam plurimi testes. Actum apud Senghin, anno Domini M°. CC°. nono decimo, mense junio.

Registr. Novum, fol. 121.

95.

Littera scabinorum Yprensium quod juraverunt filii dicti Michaelis nobis nunquam calumpniam aliquam super dicta decima inferre.

Vers 1219. Nos scabini de Ypra testificamur omnibus presentes litteras inspecturis, quod Michael et Robertus, filii Michaelis de Herentaghe, juraverunt coram nobis, quod ecclesiam sancti Martini Yprensis super decima de Boesingha, quam a patre ac matre ipsorum dicta ecclesia emptione legitima acquisivit, nullo unquam tempore molestarent, nec aliquam ei calumpniam sive dampnum super decima eadem inferrent. Ut igitur super hoc nulla possit imposterum dubitatio suboriri, presentes litteras sigillo nostro duximus muniendas. Testes scabini Johannes Medem, Lambertus Pes, Lambertus Boudri, Michael Rugghinvoet, Terricus Sapiens, Walterus Timboem, Walterus Maius, Everardus filius Reine, Terricus filius Reingheri, Walterus Brodekin, Symon Halla.

Registr. Rubrum. fol. 61.

96.

De indulgentiis xl. dierum annuatim per A(dam), Morinensem episcopum, omnibus concessis ecclesiam sancti Martini in die depositionis et translationis ejusdem ac in solemnitate xjm. virginum et in ejusdem ecclesie dedicatione visitantibus

1219. 29 Sept. A(dam), Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum prona sit nostra humana fragilitas ad peccandum et agendam penitentiam ultra modum infirma, immensa Dei clementia, que mala nostra undique misericordie sue vallavit remediis, ne asperitate penitentiarum vel diuturnitate deterriti peccatores naufragio desperationis perirent, hujusmodi infirmitatis humane periculo sue opposuit subsidium pietatis. Quoniam enim prelatis ligandi atque solvendi potestatem concessit, ut in eorum arbitrio esset penitentias, prout expedire viderent, injungere et injunctas, prout expedire viderent, item relaxare, misericorditer ordinavit. Ex hac autem ordinatione clementie Dei pia ac multis et multum necessaria consuetudo processit, ut videlicet fidelibus ex devotione visitantibus ecclesias dedicatas sive conferentibus elemosinas suas aut aliud opus bonum ad exhortationem facientibus prelatorum, bonorum operum aut devotionis eorum intuitu pars aliqua de injunctis penitentiis remittatur. Hanc igitur piam consuetudinem imitantes, omnibus ad ecclesiam beati Martini

Yprensis in die depositionis vel translationis sancti ecclesie aut in solemnitate undecim millium virginum, de quibus preciose reliquie in ipsa requiescunt ecclesia, aut in ejusdem ecclesie dedicatione venturis singulis annis xl. dies de injunctis sibi penitentiis de misericordia Dei, qui ecclesie sue rectoribus talem contulit potestatem, et beate Dei genitricis Marie meritis omniumque sanctorum confisi misericorditer imperpetuum relaxamus. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem, presentem paginam sigilli nostri appensione duximus muniendam. Datum anno Domini M°. CC°. XIX°. tercio kal. octobris.

Registr. Nigrum, fol. 51.

97.

Littera scabinorum et abbatis et conventus de Gremberghe de lx. solidis annui redditus in mansura Lamberti Nepotis in Boterstrata.

Sciant tam presentes quam futuri, quod H[elcelo], Dei gratia in Gremberghis dictus abbas, totusque ejusdem loci conventus dederunt Salomoni Vulpi et uxori sue Christine necnon et heredibus suis mansuram jacentem in Boterstrata, inter duos pontes, in qua Lambertus cognomento Nepos quondam manere solebat, tam heredibus eorum quam sibi hereditarie possidendam, sub annuali censu sexaginta solidorum Flandrensis monete, duobus terminis solvendorum, scilicet in medio martii triginta solidorum, et in festo beati Remigii triginta solidorum. Ut autem hec donatio rata et inconvulsa permaneat, presens scriptum sigillis dicti abbatis et scabinorum de Ypra est confirmatum. Testes Helcelo abbas, Nicholaus prior, Walterus subprior, Willelmus parochianus, Daniel prepositus, canonici ecclesie predicte; scabini de Ypra: Johannes Medem, Michael Siligineus Pes, Hugo Pes, Everardus filius Reine, Johannes Lupus, Rogerus de sancto Jacobo, Willelmus clericus, Nicholaus Arnoudin. Actum anno gratie millesimo ducentesimo vigesimo, pridie kal. junii, in ecclesia sancti Martini de Ypra.

1220. 31 Mai.

Registr. Rubrum, fol. 43.

98.

Sententia arbitralis contra presbyterum de Tetinghem et quod ad nos pertinet decime de Tetinghem tercia pars.

Nos J. de Formeseles, G. de Lo et J. de Eversam prepositi, arbitri in causa que vertitur inter Iprensem ecclesiam ex una parte, et presbyterum de Tetinghem ex altera, super tercia parte decime de Tetinghem, compromisso partium juramentis vallato et confirmato etiam auctoritate venerabilium virorum abbatis Furnensis et suorum conjudicum, quibus dominus papa negotium ipsum commiserat terminandum, facti veritate secundum formam compromissi diligentius inquisita et cognita, habito bonorum ac prudentum virorum consilio, partibus

1220. 24 Juillet.

ad audiendum arbitrium in nostra presentia constitutis, per diffinitivam sententiam dicimus prefatam decimam ad Yprensem ecclesiam integraliter pertinere, presbytero de Tetinghem perpetuum super ea silentium imponentes. Actum in capitulo beati Martini Yprensis, nono kalendas augusti, anno Domini M°. CC°. vigesimo.

Registr. Rubrum, fol. 91.

99.

Hic incipit de domino D(aniele) de Dentreghem pro donatione xxx. librarum annui redditus in Reningels.

Vers 1220. Ego Daniel de Dentringhem notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod per manum Beatricis uxoris mee et Lamberti primogeniti filii mei et domini Gerardi generi mei et uxoris sue Aelis filie mee donavi Yprensi ecclesie annuum redditum triginta librarum Flandrie monete, quem assignavi eidem super hereditatem meam in Rininghels, sub testimonio scabinorum meorum et etiam aliorum, qui etiam submoniti per juramentum scabinatus sui dixerunt per judicium, quod predicta donatio legitime facta esset, et quod ecclesia memorata dictum redditum legitime obtineret. Una autem medietas ejusdem redditus in festum sancti Remigii, et altera medietas in medio martii annis singulis persolvetur. Juravimus etiam, ego Daniel et Beatrix uxor mea et Lambertus filius meus primogenitus et dominus Gerardus gener meus et uxor sua filia mea, quod assignationem istius redditus bona fide observabimus, donec ecclesia sepedicta quitas clamaverit triginta libras quas ei super hereditatem meam in Rininghels assignavi, et quod ipsam ecclesiam super dicta decima nullo umquam tempore molestabimus, nec etiam ab aliquo molestari permittemus, in quantum eam defendere potuerimus et hoc bona fide. Ut autem hoc ratum et firmum permaneat, presentes litteras sigilli mei appensione munivi.

Registr. Rubrum, fol. 74.

100.

Hic confirmatio tam decime de Bousinghe quam decime de Watue per episcopum Morinensem.

1220-21. 29 Mars. A[dam], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos Yprensi ecclesie decimam de Watue, quam Ghelinus ei in elemosinam contulit, et decimam de Boezingha, quam a Michaele de Herentaghe et uxore ipsius eadem ecclesia emit, omnesque alias decimas, quas redemit de manibus laicorum, presentium litterarum et patrocinio confirmamus, assensum nostrum prefatis redemptionibus et elemosinis adhibentes, districtius inhibentes ne aliquis ipsam ecclesiam super prefatis decimis

ullo unquam tempore molestare presumat. Datum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto, feria quarta post annuntiationem Domini.

Registr. Rubrum, fol. 63.

101.

Hic de relicta et filio primogenito domini Michaelis et de dotis renuntiacione.

Omnibus presentem paginam inspicientibus Rogerus, Insulensis castellanus, salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus et testamur, quod Adelisa, relicta Michaelis de Herentagha, cum Roberto filio suo constituta in presentia nostra, decimam in Boesingha, quam dictus Michael de me tenebat et ecclesie Yprensi legitime vendiderat, et ipsa post decessum dicti mariti sui ratione dotalicii repetierat, quitam clamavit et fidem interposuit, quod de cetero ecclesiam Yprensem super dicta decima non impeteret. Hujus facti testes sunt Johannes abbas et Reingherus monacus de Laude, Johannes Venter canonicus Yprensis, Lambertus clericus frater ejus, Rogerus de Ruma, Johannes de Botelleria, Eustacius de Weneberchies, Rogerus de Ploist, milites, Robertus de Hastiches, Balduinus de Calona et alii quam plures. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, in ecclesia de Senghin. 1222.

Registr. Rubrum, fol. 62.

102.

Hic super eodem quod juraverunt se nunquam contra venturos.

W[alterus], prepositus Brugensis et Flandrie cancellarius, omnibus presentes litteras inspecturis notum facio, quod Adelisa, relicta Michaelis de Erentagha, et filii sui Michael et Robertus in presentia domine comitisse et castellani Brugensis ballivi Flandrie festucaverunt decimam de Boesinga Yprensi ecclesie, et omne jus quod in ea habebant vel quod ex ea ad ipsos posset devenire, eidem ecclesie tradiderunt, confitentes se jurasse numquam super predicta decima ecclesie aliquam injuriam se illaturos. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, in crastino beati Petri ad vincula, in capella domine comitisse. 1222. 2 Août.

Registr. Rubrum, fol. 63.

103.

Littera arbitrorum super capella beate Marie in Brielo, que est sita in terra et dominio nostro.

Omnibus presentes litteras inspecturis abbas de Los, magister Christianus, clericus templarius, et magister Balduinus, canonicus Mecinensis, salutem in eo 1222. 10 Octobre.

qui est salus omnium. Universitati vestre notum facimus, quod cum inter viros venerabiles prepositum de Ypra et conventum ex una parte, et fratres militie templi ex altera, coram judicibus a domino papa delegatis super diversis articulis, sicut in litteris compromissionis continetur, questio verteretur, de communi partium consensu in nos tanquam in arbitros compromiserunt. Die vero a nobis partibus prefixa ad agendum, nobis omnibus et partibus in unum convenientibus, procurator domus militie templi in jure coram nobis recognovit, capellam beate Marie virginis in Brolio in terra et dominio ecclesie Yprensis sitam, et ipsos nichil habere in illa terra et capella juris vel dominii. Nos vero ipsam confessionem, utpote factam super uno articulo super quo in nos fuit compromissum, de communi consensu partium, confirmamus, prepositum et conventum ab hujusmodi impetratione Templariorum omnimodo absolventes. Quod ut ratum et firmum permaneat, sigillis nostris confirmavimus. Actum anno Domini M°. CC°. XXII°. in capitulo beati Martini Yprensis, in crastino beati Dyonisii.

Registr. Rubrum, fol. 22.

104.

Sententia arbitralis contra dominum de Haveskerke et quod apud Calona curtis, aqua cum vivario sunt libera.

1222-23. Janvier. Omnibus litteras has visuris B. sancti Autberti abbas, et magister J. de Hermes, canonicus Cameracensis ecclesie, salutem in Christo. Noverit universitas vestra, quod cum vir venerabilis H[ugo], Yprensis prepositus, B. de Haveskerke militem coram nobis auctoritate apostolica traxisset in causam, contra eum proponens, quod idem B. quemdam servientem ipsius prepositi per judicium scabinorum suorum de Calona fecerat condempnari; et quod fossores ipsius prepositi violenter fugaverat a terra ipsius, dum ad mandatum in suo foderent comitatu, et quod in aqua ecclesie, que erat in comitatu ipsius, piscari fecerat et acceperat pisces, et quod per decursum aque de Calona in vivario ipsius prepositi ruperat ipsum vivarium et deterioraverat piscationem ipsius, et quod in curte prepositi apud Calona eodem invito fuerat hospitatus, nos, auditis rationibus hinc inde propositis, confessionibus quoque partium et attestationibus prepositi diligentius intellectis, scriptis quoque inspectis, presentibus et petentibus partibus, de consilio peritorum in jure pronuntiavimus per diffinitivam sententiam, quod curtis ecclesie cum vivario et aqua de Calona infra vivarium et alia que erant in ipsius ecclesie terra libera cum comitatu fuerunt et sunt ecclesie memorate, et quod idem B. ejiciendo fossores, piscando in aqua, hospitando in curte et in condempnatione servientis prepositi injuriosus extiterat preposito sepedicto, et has injurias ipsi preposito et ecclesie emendare debebat per satisfactionem scilicet corporalem nulla pecunia mediante, ita quod si inter ipsum et prepositum amicabiliter convenire non posset de predictis emendis, ad dictum

nostrum nobis consentientibus partibus reservatum fierent emende predicte; de expensis autem in lite factis supposuit se idem B. voluntati et dicto prepositi sepius memorati. Hec omnia que, partibus per procuratores presentibus et acceptantibus quod fuerat sententialiter prolatum a nobis, publice denuntiavimus firma fore, fecimus diligenter conscribi et nostrorum testimonio sigillorum muniri, partibus similiter concedentibus quod, licet prepositus Cameracensis ecclesie noster esset conjudex, a nobis duobus sententia proferretur. Actum anno Domini M°. CC°. vicesimo secundo, mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 85.

105.

Quod comitatus terrarum ecclesie nostre in Brielo ad nos pertinet.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos Johannes, abbas de Los, et magister Balduinus, canonicus Mecinensis, electi arbitri in causa que vertebatur inter ecclesiam Yprensem et fratres milicie templi, super comitatu terrarum ecclesie Yprensis jacentium in Ypra, ordine juris observato per omnia sententialiter diffinimus comitatum illarum terrarum pleno jure ad ecclesiam Yprensem per totum anni circulum pertinere super illo comitatu tam septimana rogationum quam alio tempore, fratribus militie templi perpetuum silentium imponentes. Actum pridie ydus augusti, anno ab incarnatione Domini M°. CC°. vigesimo tercio. 1223. 12 Août.

Registr. Rubrum, fol. 22.

106.

Sententia arbitralis inter nos et moniales de Busco, de hiis omnibus que erant in curte que dicitur Westhof etc.

Cum controversia esset orta inter de Ypra et de Busco ecclesias, super jure parochiali et decimis animalium cujusdam curtis de Buscho juxta Ypram site, que dicitur Westhof, tandem partes in nos prepositum de Lo et decanum Insulensem et magistrum A. scolasticum de Ypra, sub forma que continetur in litteris ipsarum partium super hoc confectis, amicabiliter compromiserunt. Nos vero ad petitionem partium suscipientes arbitrium, de bonorum virorum consilio ita duximus ordinandum, quod si sanctimonialis vel conversus vel conversa nichil proprii habens manserint in curte prefata, ab eis ecclesia Yprensis jura parochialia non habebit. Sed quum abatie solent mittere servientes suos de loco ad locum ad arandum, ad seminandum et metendum et ad similia, duximus statuendum quod si ecclesia de Busco miserit ad predictam curtem aliquos de servientibus suis, conductis ad minus per annum, ad aliquod opus predictorum vel simile faciendum, et habuerint in mandatis quod, illo opere peracto, statim ad ecclesiam 1223. Novembre.

de Buscho teneantur reverti, de hiis ecclesia Yprensis jura parochialia non poterit postulare, nisi habuerint familiam manentem in aliqua parochiarum Yprensium, vel ipsi fuerint de familia alicujus manentis in aliqua parochiarum Yprensium. Omnes vero alii, qui certam ibi mansionem fecerint, ad jura parochialia Yprensis ecclesie tenebuntur. De decimis vero animalium ibi nutritorum ita statuimus. Si dubitetur ab Yprensi ecclesia cujus sint animalia, et abbatissa dixerit in verbo veritatis quod sua sint, ita quod nullus alius aliquid juris habet in illis, de illis animalibus decime non solvuntur. Si vero animalia illa alterius fuerint cujuscumque, decime solvuntur de ipsis. Quod si ecclesia de Buscho nutrierit ibi animalia aliena ad medietatem, vel ad aliam portionem, de portione ecclesie decime non solvuntur, de aliis vero solvuntur integraliter decime Yprensi ecclesie. Corpora vero illorum qui ibi manebunt et tenebuntur ad jura parochialia Yprensis ecclesie, apud suam parochialem ecclesiam sepelientur, nisi apud Buschum elegerint sepulturam, et tunc deferentur ad ecclesiam suam primo, postea apud ecclesiam de Buscho sepelientur, nisi aliter fuerit de ecclesie Yprensis voluntate concessum. Quod ut firmum et ratum permaneat, presens scriptum sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 33.

107.

Littera quod sumus quiti a theolonio de Commines.

1223. Ego Balduinus, dominus de Commines, notum facio omnibus presens scriptum inspicientibus, quod ob remedium et salutem anime mee et uxoris et predecessorum meorum, ecclesiam beati Martini Yprensis liberam dimisi imperpetuum ab omni theoloneo, quod apud Commines a curribus vel navibus ibidem transeuntibus exigitur, ita quod prefata ecclesia theoloneum ibidem de cetero non solvet, nec aliquis a nuntiis ipsius exigere presumat. Quod ut in futurum ratum permaneat et firmum, presentem paginam sigilli mei appensione signatam eidem ecclesie habendam concessi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tercio.

Registr. Rubrum, fol. 59.

108.

Confirmatio domini episcopi super decima que fuit domini Danielis de Dentreghem sita in Reningels.

1223-24. 17 Février. A[damus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum fieri, quod nos emptionem, quam ecclesia Yprensis contraxit cum Daniele de Dentringhem milite super decima de Rininghels, quam idem Daniel de domina de Tenremonde tenebat

in feodum, ratam et gratam habemus, et eandem decimam Yprensi ecclesie concedimus ac presentis scripti patrocinio confirmamus. Actum tercio decimo kalendas martii, anno gratie M°. CC°. XX°. tercio.

Registr. Rubrum, fol. 75.

109.

Littera ejusdem D[anielis] quod nobis vendidit decimam suam in Reningels.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Daniel de Dentringhem notum facio tam presentibus quam futuris, quod cum decimam, quam in manu mea de domina de Tenremonde apud Rininghels tenebam in feodum, Yprensi ecclesie vendidissem, de consensu Beatricis uxoris mee et Lamberti primogeniti filii mei et Gerardi generi mei et A[elis] uxoris sue filie mee, resignavi eam in manibus predicte domine de Tenremonde, presentibus B[eatrice] uxore mea et L[amberto] filio meo primogenito et manum apponentibus, et ipsa domina de Tenremonde ad preces nostras tradidit eam ipsi ecclesie jure perpetuo libere possidendam. Ego vero et uxor mea et filius et gener meus et filia juravimus, quod prefatam ecclesiam super dicta decima nunquam molestabimus, nec et permittemus ab alio molestari, in quantum potuerimus eam defendere bona fide. Si vero contigerit aliquo tempore, quod Willelmus, filius Radulphi Vulpis avunculi mei, vexaverit ecclesiam super decima sepedicta, et vel totam vel partem vel aliquam summam pecunie ei donatam a patre per judicium potuerit obtinere, quicquid ipse obtinuerit, ego debeo ecclesie cum integritate restituere, et insuper omnes expensas et dampna que incurrerit propter vexationem ipsius. Et hoc ei promisimus ego et uxor mea et filius et filia et gener sub juramento predicto. Ut autem hoc ratum et firmum permaneat, presentes litteras sigilli mei appensione munivi. Actum anno Domini M°. CC°. vigesimo tercio, mense martio. 1223-24. Mars.

Registr. Rubrum, fol. 74.

110.

Littera approbationis superioris domine de Tenremonde, a qua dicta decima in feodum prius tenebatur.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Matthildis, domina de Tenremonde, notum facio tam presentibus quam futuris, quod cum Daniel de Dentringhem decimam, quam in manu sua apud Rininghels de me tenebat in feodum, Yprensi ecclesie vendidisset, ipse et Beatrix uxor ipsius et Lambertus primogenitus filius suus ad meam propter hoc presentiam accesserunt; cumque resignassent in manibus meis, astantibus hominibus meis, et in perpetuum quitam clamassent decimam antedictam, ego ad preces eorum et ob remedium anime mee et predecessorum meorum eandem decimam Yprensi ecclesie, astante Ro- 1223-24. Mars.

berto filio meo et assensum prebente, contuli perpetuo possidendam cum omni jure quod in ea ratione dominii obtinebam. Postea adjuravi homines meos, per fidem quam mihi debebant, ut dicerent per judicium utrum prefata ecclesia predictam decimam haberet legitime, et predictus Daniel vel heredes sui, aut ego vel heredes mei possemus in ipsa decima de cetero juris aliquid reclamare. Qui dixerunt per judicium quod prefata ecclesia eam ita juste ac legitime obtineret, quod nec dictus Daniel nec heredes sui, nec ego nec heredes mei possemus de cetero aliquid juris reclamare in ea. Ut igitur hoc ratum et firmum permaneat et ipsa ecclesia in perpetuum sit secura, presentes litteras sigilli mei appensione munivi, sub testibus Jacobo canonico Yprensi, Willermo et Theobaldo clericis, Waltero de Berlar et David militibus, Egberto ballivo domine, Henrico, Eustacio, Waltero preposito, Everardo Bars, Jordano et Margareta de Tenremonde et aliis quamplurimis. Actum anno gratie M°. CC°. vigesimo tercio, mense martio.

Registr. Rubrum, fol. 74.

111.

Sententia arbitralis super dominio et comitatu fundi domus presbyteri de Brielo.

1223-24. 7 Avril. Omnibus presens scriptum inspecturis frater J[ohannes], abbas de Los, et magister Balduinus canonicus Mecinensis, salutem in eo qui est salus omnium. Universitati vestre notum facimus, quod cum in nos et magistrum Christianum, clericum Templariorum, super diversis articulis de quibus questio vertebatur, coram judicibus a sede apostolica delegatis inter ecclesiam beati Martini Yprensis ex una parte, et fratres militie templi ex altera, tanquam in arbitros fuisset compromissum, nos audita petitione Templariorum super dominio et comitatu fundi domus presbyteri de Brolio, utpote unius articulorum de quibus in nos fuit compromissum, intellecta etiam responsione ecclesie beati Martini et confessione procuratoris Templariorum in jure facta et in scriptis redacta super dominio et comitatu fundi supradicti, habito prudentum virorum consilio in utroque jure peritorum, observata per omnia forma compromissionis, die statuta de communi consensu partium ad proferendam diffinitivam sententiam super predicto articulo, exoptata etiam presentia tercii coarbitri nostri in quantum debuimus, finaliter judicavimus dominium et comitatum fundi domus presbyteri de Brolio ad ecclesiam beati Martini Yprensis pleno jure pertinere, ipsam ecclesiam ab hujusmodi impetitione Templariorum absolventes. Actum anno Domini M°. CC°. XX°. tercio, mense aprili, feria quinta post dominicam qua cantatur *Letare Jherusalem*.

Registr. Rubrum. fol. 23.

112.

Privilegium quod pro causis ecclesie possumus citare sine litteris.

A[damus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Sciat universitas vestra, quod cum laboriosum esset et grave Yprensi ecclesie ad singulas causas suas pro citationibus impetrandis ad nos vel ad curiam mittere Morinensem, nos dilecto nostro H[ugoni], Yprensi preposito, citandi quos voluerit pro negociis ecclesie sue coram nobis vel coram officialibus specialem concessimus potestatem. 1213-29.

Registr. Rubrum, fol. 110.

113.

Emendatio super injuriis et juramentum prestitum a Willelmo de Calona quod ulterius nunquam injuriaretur.

Nos scabini de Ypra notum facimus omnibus presentes litteras inspecturis, quod Willelmus, dominus de Calona, dominica qua cantatur *Jubilate*, nudis pedibus et in pura sua tunica in plena processione venit ad pedes venerabilis viri H[ugonis], Yprensis prepositi, cum virga in manu, ut ei emendaret injuriam quam Yprensi dicebatur ecclesie irrogasse, et ibidem in presentia nostra et tocius populi qui erat in ecclesia, et nobis vocatis in testimonium ut scabinis, juravit quod nunquam de cetero ipsi ecclesie aliquam injuriam irrogaret, neque per se neque per alium, neque facto neque consilio per quod dampnificari posset ecclesia, sed esset ejusdem ecclesie pro posse suo bonus de cetero et fidelis amicus. Actum anno Domini millesimo CC°. tricesimo, quarto kalendas maii. 1230. 28 Avril.

Registr. Rubrum, fol. 85.

114.

Quod in hospitali domine Margarete prepositus in spiritualibus et scabini in temporalibus habent potestatem.

Universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus presentes litteras inspecturis H[ugo] prepositus et capitulum sancti Martini Yprensis et scabini de Ypra salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod de communi consilio in hoc convenimus, quod prepositus sancti Martini in hospitali domine Margarete potestatem habeat in spiritualibus, ita quod fratres et sorores ipsius domus habitum religionis assumant ab eo, et obedientiam ei faciant manualem, et ipse excessus corrigat et peccata sicut in ecclesia sua, et faciat fratres et sorores 1230. Mai.

domus regulariter et honeste vivere. Scabini vero post mortem ipsius Margarete potestatem habebunt in temporalibus ad honorem Dei et utilitatem domus, ita quod, quocienscumque ipsa domus magistro vel aliquo novo fratre opus habuerit vel sorore, fratres et sorores ipsius domus sub periculo anime et ordinis eligent personam ydoneam et utilem domui, et scabini conferent ei temporalia, si fuerit persona ydonea et utilis. Si vero non fuerit persona ydonea et utilis domui, dicent fratribus et sororibus ut aliam personam eligant magis ydoneam et utilem domui, cui temporalia domus ipsius digne conferre valeant et honeste. Minuendi autem bona domus ipsius vel in alios usus convertendi nullam penitus potestatem habebunt nec prepositus nec scabini. Prepositus autem vel capellanus qui confessiones audiet infirmorum et corriget peccata tam fratrum quam sororum, magis sciens necessitatem ipsorum quam alius, poterit dicere magistro domus cujusmodi victualia infirmus desideret, et debebit ei providere magister domus pro possibilitate facultatum domus secundum consilium prepositi et capellani. Magister domus eligetur de ipso collegio a fratribus et sororibus, et scabini committent ei temporalia; quod si male amministraverit, per scabinos ab amministratione sine contradictione amovebitur, similiter et frater et soror. Ut igitur hec rata et firma permaneant, presentes litteras sigillis ecclesie et ville duximus muniendas. Actum anno domini M°. CC°. tricesimo, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 14.

Aux archives de la ville d'Ypres: original sur parchemin, muni du sceau des échevins et de celui du chapitre de Saint-Martin, avec contre-scels; transcription au *Wittenboek*, fol. 232, et au *Geluwenboek*, fol. 60.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 352. Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres* t. I, p. 43 (analyse).

Sur la fondation de l'hospice de Sainte-Catherine voir deux pièces de 1227 et 1228 analysées dans Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, pp. 37 et 42.

115.

Hic apparet per litteras episcopi quod hospitale Lamberti Pedis est subjectum in omnibus spiritualibus preposito Yprensi.

1230. Mai. P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, dilecto in Christo H[ugoni], preposito beati Martini Yprensis, salutem in Domino. Cum Margareta, relicta Lamberti Pedis, de domo sua, Domino inspirante, hospitale fecerit infirmorum, et assignaverit ei redditus competentes, volens fratres et sorores hospitalis ejusdem honeste vivere et sub regula competenti, vobis et successoribus vestris imperpetuum curam ipsius regule a nobis humiliter postulavit committi; ita videlicet ut fratres et sorores hospitalis ejusdem a vobis recipiant religionis habitum, in manibus vestris renuntient propriis et continentiam voveant et vobis obedientiam faciant manualem, et vos in ipso hospitali, quoad spiritualia et quoad regularem observantiam, habeatis eandem potestatem penitus quam habetis in

ecclesia beati Martini; ita tamen quod potestas vestra, suis contenta finibus, se ad bona hospitalis temporalia non extendat. Nos igitur piis ejus desideriis annuentes, vobis et successoribus vestris imperpetuum prenotati hospitalis curam committimus in predictis. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 13.

116.

De redditibus nobis assignatis pro missa in eodem hospitali. Item quod scabini debent pandare pro illis.

1230. Juin.

Nos scabini de Ypra notum facimus universis tam futuris quam presentibus, quos presentes litteras videre contigerit, quod Margareta, relicta Lamberti Pedis, assignavit viginti libras annui redditus ecclesie sancti Martini Yprensis, quarum quindecim libras percipiet ecclesia pro capellano qui in hospitali Margarete ipsius cotidie celebrabit divina, et centum solidos quos ecclesia debet annuatim reddere clerico capellani. Percipiet autem dimidiam partem redditus antedicti singulis annis in festo beati Remigii, et alteram dimidiam partem in medio martii. Est autem redditus ipse assignatus in locis inferius nominatis: in mansura Walteri Povers, novem libre; in duabus mansuris juxta domum Willelmi Scovel clerici, versus ecclesiam beati Petri, tres libre; in mansura Lamberti clerici, triginta solidi; in tribus mansuris que jacent in Buckerstrata ex adverso terre sancti Martini, tres libre; in mansura que jacet juxta domum Willelmi Ghime versus ecclesiam sancti Martini, quadraginta solidi; in tota terra sua que jacet juxta hospitale supra vetus fossatum, triginta solidi. Isti vero redditus pandabuntur per scabinos et non per aliam legem, nisi scabini eos pandare noluerint. Si autem inter mansuras predictas et alias eis contiguas fuerit divisio facienda, fiet ipsa divisio per scabinos. Isti autem redditus nec crescere possunt nec minui ipsi ecclesie; sed si de locis predictis amplius redditu pretaxato provenerit, ad hospitale spectabit, et si minus per aliquem fortuitum casum inde provenerit, hospitale supplebit. Nec aliquid poterit petere ecclesia in locis predictis, nisi solummodo redditum pretaxatum. Ut igitur hec rata et firma permaneant, nos scabini sigillo ville et nos H[ugo] prepositus et capitulum sigillo ecclesie presentes litteras fecimus confirmari. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo, mense junio. Hec est duplex.

Registr. Rubrum, fol. 14.

Aux archives de la ville d'Ypres: original sur parchemin portant le sceau des échevins et celui du chapitre de Saint-Martin, avec contre-scels; transcription au *Wiltenboek*, fol. 166 et 233, et au *Geluwenboek*, fol. 61.

Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 44 (analyse).

117.

Littera obligationis hospitalis sancte Catharine Yprensis, qua tutores et sorores hospitalis predicti obligantur non nisi unum altare erigere, nisi de licentia domini prepositi sancti Martini Yprensis.

1230. Juillet. Petrus, Dei gratia Morinensis episcopus, universis tam presentibus quam futuris, quos presentes litteras videre contigerit, salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum, quod cum Margareta, relicta Lamberti Pedis, de domo sua hospitale infirmorum fecisset, et eidem hospitali de bonis suis assignasset redditus competentes, volens inter ecclesiam beati Martini et hospitale ipsum omnem materiam scandali et omnem occasionem contentionum ac litium imperpetuum amputare, in nostra presentia constituta promisit ecclesie memorate, quod in hospitali predicto unum solum erigetur altare, videlicet in capella, et numquam erit campana vel nola in hospitali eodem, nisi ab ipsa ecclesia super hoc licentiam potuerit impetrare, sed erit hospitale ipsum contentum cymbalo decem librarum ad convocandos fratres, cum opus fuerit, et sorores ad dormitorium, ad refectorium et ad missam, et ad si qua alia fuerint convocandi. Truncus etiam infra domum hospitalis non ponetur, nec alibi infra domum; omnes autem oblationes que provenerint ad altare in capella hospitalis ipsius, ad prefatam ecclesiam integraliter pertinebunt. Si vero alias cerei vel candele provenerint, inter ecclesiam ipsam et hospitale predictum equis partibus dividentur. Magister autem domus jurabit coram preposito, quod nec verbo nec nutu nec alio signo fraudem vel dolum faciet ipsi ecclesie, ut minuantur oblationes ipsius, nec etiam a subditis suis fieri scienter permittet. Nullas autem habebit ipsa domus cruces vel ymagines, nisi solummodo ad predictum altare, vel nisi eas habuerit in pariete depictas superius vel affixas, ut sint ibi spectaculum et speculum infirmorum. Ecclesia vero beati Martini debet ipsi hospitali providere in capellano et clerico capellani. Et assignavit eadem Margareta ipsi ecclesie redditus viginti librarum, quindecim videlicet libras annuatim pro capellano et centum solidos pro clerico capellani, ad divina ibidem officia cum horis canonicis cotidie celebranda. Ipsum vero hospitale providere debebit indumenta sacerdotalia et ornamenta altaris et omnia que necessaria erunt ad celebranda divina. Jurabit etiam magister domus quicumque instituetur ibidem, quod contra premissa vel contra aliquod premissorum nullam indulgentiam impetrabit a domino papa vel ab alio, vel faciet impetrari, et si fuerit impetrata, eam resignabit ecclesie sancti Martini. Ut igitur hec rata et firma permaneant et imperpetuum inviolabiliter observentur, nostram eis auctoritatem impertiendam duximus, et presentes litteras fecimus sigilli nostri appensione muniri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo, mense julio.

Registr. Rubrum, folio 15, et *Registr. Nigrum*, fol. 54.

118.

Littere compromissi de quadam cappa et de piscatione monteie et de xij. denariis.

1231. 24 Mai. Universis presentes litteras inspecturis frater W[illelmus], dictus abbas de Laude, et W[illelmus], decanus sancti Petri Insulensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum Iprensis ecclesia ex una parte, et Willelmus de Calona ex altera, compromisissent in nos super omnibus querelis, quas idem Willelmus movere poterat contra ecclesiam memoratam, et ipse Willelmus cappam quam sibi annuatim deberi dicebat, et piscationem cujusdam monteie in Calona, que est in terris ipsius ecclesie, ab eadem ecclesia petisset, nos auditis hinc inde propositis, receptis testibus partium et eorum depositionibus publicatis, inspectis instrumentis que fuerunt nobis exhibita, allegationibus partium plenius intellectis, cum renuntiatum fuisset et conclusum in causa, plures assignavimus dies ad arbitrium proferendum. Termino ipsius arbitrii de consensu partium ad dies singulos prorogato, ultima vero die quam arbitrio proferendo prefiximus, comparente ipsius ecclesie preposito et quantum debuit expectante, Willelmo autem non veniente ad diem nec aliquem pro se procuratorem mittente, cum sine ipsius assensu non posset terminus prorogari, solutum fuit arbitrium negotio indeciso. Postea vero comparentes in presentia nostra partes in nos iterum compromiserunt de novo super piscatione predicta et cappa et etiam super duodecim denariis, de quibus fit mentio in instrumento collato ecclesie a domino de Calone, sub pena viginti librarum a parte resiliente parti alteri solvendarum, ita quod nos debemus, salvo omni jure quod utrique parti competit adversus alteram ex priori compromisso secundum acta prioris arbitrii, in quo conclusum extitit, super cappa predicta et piscatione monteie prenotate certam et sine conditione proferre sententiam, et causam etiam de predictis duodecim denariis, intellectis utriusque partis rationibus, equo arbitrio terminare. Et utraque pars dedit fidejussores idoneos alteri de pena si resiliret solvenda, videlicet Eustacium Tassart, Balduinum le Petit et Walterum le Petit, qui pro utraque parte se alteri obligarunt. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo primo, sabbato post trinitatem.

Registr. Rubrum, fol. 86.

119.

Sententia arbitralis super eisdem.

1231. Juin. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Cum ecclesia sancti Martini Yprensis ex una parte, et Willelmus dominus de Calona ex altera, in nos Willelmum, abbatem de Laude, et Willelmum, decanum sancti Petri Insulensis,

compromisissent sub pena viginti librarum, super quadam cappa et quadam monteia sita in terra sancti Martini Yprensis, et super duodecim denariis contentis in privilegio quod dominus de Calona contulit dicte ecclesie, nos, testibus super duobus primis articulis receptis eisdemque publicatis, rationibus et allegationibus utriusque partis diligenter auditis, tam super duobus articulis premissis quam super duodecim denariis, die statuta ad proferendum arbitrium, de prudentum virorum consilio et in jure peritorum, arbitrando pronuntiavimus Willelmum dictum de Calona nichil juris habere tam in cappa quam in monteia ab eo petitis, super duodecim denariis contentis in privilegio domini de Calona, quos annuatim dictus Willelmus petiit a dicta ecclesia sibi solvi, perpetuum ei silentium imponimus, eo quod dicta ecclesia infra quadraginta annos non solvit dictos duodecim denarios nec ab eo fuerint petiti. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo primo, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 83 et fol. 87 (deux copies).

120.

Littera compromissionis de concordia confirmata per episcopum Morinensem super controversia et lite habitis inter villam Yprensem ex una parte, et ecclesiam sancti Martini ex altera, super usu et consuetudine qualiter scabini Yprenses erga ecclesiam sancti Martini Yprensis habere se debeant.

1231. Août. Omnibus presentes litteras inspecturis P(etrus), Dei gratia Morinensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod cum discordia esset inter prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex una parte, et scabinos et communitatem Yprensem ex altera, super usu et consuetudine qualiter scabini Yprenses habere se debeant et qualiter se habuerunt erga ecclesiam sancti Martini et juratos ecclesie et alios, de placitis et aliis ad ecclesiam pertinentibus, insuper de quibusdam dampnis et penis, tamdem de communi consensu in presentia nostra compromiserunt in magistrum Jacobum, Flandrensem archidyaconum, et magistrum Arnulfum, canonicum ejusdem ecclesie, electos ex parte prepositi et canonicorum, item Gerardum de Thoroud et Everardum, cives Yprenses, electos ex parte scabinorum et communitatis, et magistrum Arnulfum, scolasticum, et a nobis nominatum et a partibus approbatum. Porro partes supradicte firmiter promiserunt, sub pena quingentarum librarum a parte resiliente parti parenti solvendarum, quod fideliter dictum et ordinationem predictorum arbitrorum vel saltem trium ex ipsis, si omnes concordare non possunt, observabunt et arbitrio parebunt. Si autem aliquos vel aliquem arbitrorum mori vel abesse, ita quod commode non possit interesse, contigerit, pars illa que illum vel illos elegit, alium vel alios substituet infra octo dies postquam ad eam noticia pervenerit, et ille electus vel electi procedent cum residuis; et hoc idem firmatum est sub pena predicta. Dicti vero arbitri juraverunt, quod bona fide secundum inquisitionem et probationes procedent et utrique parti jus reddent secundum quod potuerint, et debent

infra festum sancti Remigii proximo venturum dictum suum promulgare. Plegii autem et debitores pene supradicte ex parte ecclesie dati sunt isti: Hughelotus Gherbot, Michael Rughinvot, Tirricus de Agro, Theodericus Medem, Johannes Boudraven. In testimonium predictorum omnium presentes litteras emisimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo primo, mense augusti. Dedimus etiam potestatem ipsis arbitris cogendi testes ad perhibendum testimonium veritati.

Registr. Nigrum, p. 55.

121.

Littera scabinorum de xij. libris annui redditus in halla pro libertate et comitatu extra monasterium.

Universis presentes litteras inspecturis, frater H[ugo], prepositus et capitulum Iprensis ecclesie, scabini et communitas ville Yprensis, salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum esse, quod cum inter nos ad invicem contentiones essent super judiciis scabinorum ville Iprensis in placitis ecclesie, et pandatione et pena quingentarum librarum et dampnis septingentarum marcarum et piscatione in communibus fossatis ville, tandem pro bono pacis communi assensu compromisimus in magistrum Jacobum, Morinensem archidiaconum in Flandria, magistros Arnulphum, canonicum beati Martini, et Arnulphum scolasticum, Gerardum de Thorout et Everardum, filium Reine, burgenses Iprenses, firmiter promittentes quod dictum et ordinationem ipsorum quinque inviolabiliter observabimus, super certo censu et redditu assignando et refundendo pro querelis prenominatis remittendis et quittandis, et hec omnia promisimus ad invicem nos observaturos sub pena quingentarum librarum parisiensium a parte resiliente parti arbitrium observanti solvendarum. Porro supradicti quinque arbitri communi tractatu et consilio prehabito et concorditer ita dixerunt et ordinaverunt, quod villa Iprensis singulis annis in perpetuum persolvet ecclesie memorate duodecim libras Flandrensis monete, sex libras in medio martii et sex libras ad sequens festum beati Remigii, et per hujusmodi annuum censum habebunt scabini et communitas ville Iprensis libertatem et comitatum tantummodo in perpetuum possidendum, quem habebat ecclesia beati Martini infra scabinatum ville Iprensis extra ambitum monasterii. Redditus autem terrarum istarum et aliarum et possessiones pertinebunt ad ecclesiam sicut prius, et scabini judicabunt et tractabunt bona fide hospites ecclesie ubi voluerint sive in halla sive alibi. Et per hoc iidem arbitri absolverunt scabinos et communitatem ville ab omnibus querelis prenotatis. Scabini autem assignaverunt predictum censum terminis predictis ad redditus halle percipiendum, suppleturi si in aliquo ibidem contingat defectus. Et nos partes recepimus et approbavimus arbitrium dictum et ordinationem sicut superius est expressum. In cujus rei perpetuam memoriam et munimen sigilla nostra presentibus litteris duximus

1231. 22 Sept.

apponenda. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo primo, mense septembri, in crastino beati Mathei apostoli.

Registr. Rubrum, fol. 93.

Aux archives de la ville d'Ypres: original sur parchemin muni de huit sceaux, parmi lesquels se trouvent celui du prévôt de Saint-Martin et celui du chapitre; transcription au *Wittenboek*, fol 84, et au *Roodenboek*, fol. 83.

Imprimé dans Alph. Vandenpeereboom, *Ypriana*, t. II, p. 362; analysé dans Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 46.

122.

De lx. solidis annui redditus super quatuor bunariis et iiij. mensuris in Paschendale.

1232. 22 Mai. P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum esse, quod Johannes de Paschendale miles, et Willelmus et Johannes, Egidius et Lambertus, filii ejus, in nostra presentia constituti Yprensi ecclesie sexaginta solidos annui redditus in perpetuam elemosinam contulerunt, de quibus quadraginta solidos ipsa ecclesia percipiet annuatim de quatuor bunariis allodii et dimidio jacentibus juxta feodum suum in Paschendale, reliquos vero viginti solidos de quatuor mensuris terre que vocatur terra Amori, et est similiter allodium et jacet contingua allodio prenotato. Fide etiam interposita promiserunt tam ipse pater quam omnes filii ejus predicti, quod prefatam elemosinam garandizabunt ipsi ecclesie et pro posse suo defendent, et vim vel injuriam ei fieri super eadem elemosina ab aliquo cui possint resistere, non permittent. Actum et datum undecimo kalendas junii, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo.

Registr. Rubrum, fol. 110, et *Registr. Novum*, fol. 84.

123.

Privilegium quod nos ultra duas dietas non possumus citari.

1232. 8 Décemb. Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Utilitatibus vestris consulere ac indempnitatibus precavere volentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ultra duas dietas a monasterio vestro super bonis, que infra illas duas dietas habere noscimini, per litteras apostolicas trahi non possitis in causam, nisi de hac indulgentia plenam fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagnie, VI°. ydus decembris, pontificatus nostri anno VI°.

Registr. Rubrum, fol. 135.

124.

De tribus bunariis terre juxta fontem de Commines nobis datis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Balduinus, dominus de Commines, notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod ego ob remedium anime mee et uxoris mee et predecessorum meorum contuli et concessi ecclesie beati Martini Yprensis, de voluntate et consensu uxoris mee Gertrudis, omne dominium et jus quod habebam vel habere poteram in terra illa, quam Johannes quondam canonicus Yprensis, qui se et bona sua contulit ecclesie memorate, eidem ecclesie liberaliter [dedit], imperpetuum possidendum. Jacet autem terra illa ad meridiem de Commines, juxta locum qui dicitur ad Fontem. Continet autem tres bunarios terre, paulo plus vel minus. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillorum nostrorum appensione munivimus. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo. 1232.

Registr. Rubrum, fol. 49.

125.

Littera de indulgentiis concessis omnibus ad consecrationem altaris in honorem SS. Nicholai, Eligii et Egidii in capella nove fabrice Yprensis ecclesie venientibus.

P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod omnibus qui ad consecrationem altaris quod in honore sanctorum Nicholai, Eligii et Egidii in capella (1) nove fabrice Yprensis ecclesie consecravimus, venient et oblationes suas ibidem pie obtulerint, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus, et duret usque ad octavas pasche. Preterea omnibus singulis annis ad dictam diem memorate consecrationis cum oblationibus et hostiis adventantibus decem dies de injunctis sibi penitentiis relaxamus. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo secundo, in vigilia epyphanie Domini. 1232-33. 5 Janvier.

Registr. Nigrum, fol. 87.

126.

Privilegium quod pro causis ecclesie possumus citare sine litteris.

P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, dilecto in Christo preposito ecclesie Yprensis salutem in Domino. Cum vos et ecclesiam vestram speciali amore duximus amplectendam, considerantes laboriosum et valde grave esse vobis mit- 1233. 9 Juin.

(1) Cette chapelle fut construite par le prévôt Hugues, qui mourut en 1232.

tere ad nos vel ad curiam nostram pro citationibus impetrandis quociens vobis opus esset, volentes super hoc vobis facere gratiam, concedimus, volumus et mandamus quatinus, quocienscumque videritis expedire, citetis quoscumque volueritis in villa Yprensi pro negociis ecclesie vestre coram nobis vel officiali nostro, vobis et ecclesie vestre responsuros. Datum feria quinta post octabas trinitatis, anno domini M°. CC°. tricesimo tercio.

Registr. Rubrum, fol. 110.

Imprimé dans Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 354.

127.

Quod hospitale Lamberti Pedis debet providere indumenta et ornamenta et omnia necessaria. Quod non debet ampliari capella. Nec truncus ponatur, nec crux nec imago, nisi ad altare.

1233. Juin. Universis presentes litteras inspecturis J. abbas de Zinnebeka, et J. prepositus de Formezeles, et J. decanus christianitatis Yprensis, salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod Margareta, relicta Lamberti Pedis, in nostra presentia constituta venerabili viro L[amberto], preposito, prestito corporaliter juramento promisit, quod nichil attemptabit ullo umquam tempore vel facto vel dicto vel nutu vel aliquo signo per quod minui possint oblationes Yprensis ecclesie, et prepositus sub debito juramenti injunxit eidem, ne capellam ad opus hospitalis sui novam faceret, vel eam que modo est, in aliquo ampliaret, quia per hoc, si fieret, ecclesie vicine oblationes minuendas esse dicebat, populo ad capellam illam ad divina officia venturo; et ipsa sub debito juramenti quod prestiterat, promisit eidem, quod nec novam ibi capellam faceret, nec eam que modo est, ampliaret. Item eadem Margareta eidem juravit preposito, quod contra instrumentum domini episcopi Morinensis, quod in ejus et nostra fuit presentia recitatum, vel contra aliquid contentum in eo nullam faciet indulgentiam impetrari a domino papa vel ab alio, et si fortassis fuerit impetrata, resignabit eam ecclesie sancti Martini, et quicquid attemptatum erat contra instrumentum predictum, sive in trunco sive in nola sive in crucibus vel aliis quibuscumque, tolli faciet, quandocumque preposito placuerit ut tollantur. Actum anno Domini M°. CC°. XXX°. tercio, mense junio. Est autem instrumenti predicti tenor talis. Petrus, Dei gratia Morinensis episcopus. (*Suit la charte donnée ci-dessus, n°* 117.)

Registr. Rubrum, fol. 15.

128.

Confirmatio sententie arbitralis super monteia, piscatione et comitatu.

1233. Octobre. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Sibilla, domina de Wavrin, et ego Gilbertus de Haveskerka miles notum volumus esse universis,

quod Willelmus de Calona promisit Yprensi ecclesie, quod sententiam arbitralem, quam viri venerabiles abbas de Laude et Willelmus, decanus sancti Petri Insulensis, pro eadem ecclesia contra ipsum tulerunt super montheia et aliis articulis, qui in instrumento ipsius sententie continentur, inviolabiliter observabit, quitum clamans ipsi ecclesie in perpetuum omne jus, quod in predicta monteia habere se credidit, tam in piscatione quam etiam in comitatu, et promittens eidem quod si aliquis de sue jurisdictioni subjectis in ipsa monteia sive in aquis ecclesie piscaretur, compelleret eum ad emendam solvendam ipsi ecclesie per suam secularem potestatem, et si aliquis de subjectis jurisdictioni ecclesie piscaretur ibidem et non posset compelli ad solvendam emendam per Yprensem ecclesiam, ipse vim suam apponeret ad eos compellendos. Promisit autem ecclesia ipsi Willelmo. quod in predicta monteia inter Lisiam fluvium et pontem Calone non ponet talia ingenia in filo aque, quin naves et pisces possint de Lisia fluvio transire in Calonam, ita tamen quod in illo filo ipsa ecclesia piscabitur omni genere ingeniorum, via piscibus et navibus reservata. Si vero aliquis de hominibus Willelmi forisfecerit in comitatu ecclesie, Willelmus debet eum cogere ad solvendam emendam ecclesie; et si aliquis ex hominibus ecclesie forisfecerit in comitatu Willelmi, ecclesia debet eum compellere ad solvendam emendam Willelmo. Poterit autem ipsa ecclesia fodere quociens et quantum et sicut voluerit in terris suis, et debet ipse Willelmus litteras hujus continentie, quam cito sigillum habuerit, sigillare, et predicta omnia promisit fide data se firmiter servaturum, [et] ut ipsa ecclesia securior esset, interposito etiam corporaliter juramento firmavit. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo tercio, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 87.

129.

Littere domini episcopi Attrebatensis super quitatione omnis juris in monteia, tam in piscatione quam in comitatu.

1233-34. Janvier.

Asso, Dei gratia Attrebatensis episcopus, omnibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Willelmus de Calona in nostra presentia constitutus promisit Yprensi ecclesie, quod sententiam arbitralem, quam viri venerabiles abbas de Laude et W[illelmus], decanus sancti Petri Insulensis, pro eadem ecclesia contra ipsum tulerunt super monteia, que incipit a Lisya et durat usque ad pontem Calone, et aliis articulis, qui in instrumento ipsius sententie continentur, inviolabiliter observabit, quitum clamans ipsi ecclesie imperpetuum omne jus, quod in predicta monteya habere se credidit, tam in piscatione quam in comitatu, et promittens eidem quod si aliquis de sue jurisdictioni subjectis in ipsa monteya sive in aquis ecclesie piscaretur, compelleret eum ad emendam solvendam ipsi ecclesie per suam secularem potestatem, et si aliquis de subjectis jurisdictioni ecclesie piscaretur ibidem et non posset compelli ad solvendam emendam per Yprensem ecclesiam, ipse vim

suam apponeret ad eos compellendos. Promisit autem ecclesia ipsi Willelmo, quod in predicta monteia inter Lisam fluvium et pontem de Calona non ponet talia ingenia in filo aque, quin naves et pisces possint de Lysia fluvio transire in Calonam, ita tamen quod in illo filo ipsa ecclesia piscabitur omni genere ingeniorum, via piscibus et navibus reservata. Si vero aliquis de hominibus Willelmi forisfecerit in comitatu ecclesie, Willelmus debet eum cogere ad solvendam emendam ecclesie; et si aliquis ex hominibus ecclesie forisfecerit in comitatu Willelmi, ecclesia debet eum compellere ad solvendam emendam Willelmo. Poterit etiam ipsa ecclesia fodere quociens et quantum et sicut et ubi voluerit in terris suis, et debet ipse Willelmus litteras hujus continentie, quam cito miles fuerit, sigillare, et predicta omnia promisit fide data se firmiter servaturum, et ut ipsa ecclesia securior esset, interposito etiam corporaliter juramento firmavit. Est autem predicte sententie talis tenor. (*Suit la sentence arbitrale donnée ci-dessus, n° 119*) Ut igitur premissa omnia rata et firma imperpetuum perseverent, nos ea rogati diligenter a partibus approbantes presentis scripti patrocinio duximus roboranda. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo tercio, mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 82.

130.

Nota quod excommunicati sunt qui aliam capellam vel oratorium construent in hospitali Lamberti Pedis.

1234. 20 Août. Universis presentes litteras inspecturis E. Loensis et W. Eversammensis prepositi salutem in Domino. Cum Yprensis ecclesia Margaretam, relictam Lamberti Pedis, coram nobis auctoritate apostolica convenisset, petens ab eadem ut destrueret oratorium seu capellam quam de novo juxta hospitale suum construxerat, contra juramentum suum, in ipsius ecclesie prejudicium et gravamen, cum jurasset eidem ecclesie quod aliam capellam vel aliud oratorium nullo modo construeret, quam tunc de ipsius ecclesie consensu habebat, eadem Margareta coram nobis in judicio constituta respondit, quod illud edificium, quod juxta hospitale suum de novo construxerat, ad hoc fecerat, ut esset camera sua, non ut esset oratorium vel capella, et interposita fidei cautione promisit, quod nunquam in illo edificio altare construeret, nisi forte in posterum Yprensis ecclesie super hoc consensum et licentiam obtineret. Nos igitur auctoritate apostolica, quod in presentia nostra inter partes actum fuerat, approbantes, ad instantiam earumdem partium excommunicamus omnes illos qui contra hoc aliquid presumerent attemptare. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, dominica post assumptionem beate Marie virginis.

Registr. Rubrum, fol. 16.

131.

Confirmatio domini pape super premissis.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Porrecta siquidem nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum inter vos ex parte una, et Margaretam, relictam Lamberti Pedis, Morinensis dyoceseos ex altera, super quadam capella, quam dicta M(argareta) de novo construxerat in prejudicium ecclesie vestre, coram preposito Loensi suoque collega auctoritate apostolica questio verteretur, tandem, judicibus ipsis mediantibus, venerabilis fratris nostri, Morinensis episcopi, ejusque capituli accedente consensu, ad compositionem amicabilem devenistis, quam apostolico petivistis munimine roborari. Nos igitur vestris justis postulationibus inclinati compositionem ipsam, sicut sine pravitate facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii, XV°. kal. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

1234. 18 Décemb.

Registr. Rubrum, fol. 17.

132.

Hic super sexta parte tocius decime de Boesinghe a nobis empta.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Willelmus, castellanus Insulensis, notum facio tam futuris quam presentibus presentem paginam inspecturis, quod cum Terricus, filius Johannis Medem, et Johannes Pari, burgenses de Ypra, sextam partem tocius decime de Boesingha, quam Zegardus de Monte tenuerat a predecessoribus meis, et ipsi a me tenebant in feodum, a predicto Zegardo ad ipsos jure successionis hereditarie devolutam, tam scilicet partem illam quam ipsi jam possidebant, quam proprietatem partis illius, cujus relicta memorati Zegardi Avicia nomine dotalicii sui usum fructum habebat, Yprensi ecclesie vendidissent, que ecclesia in prefata parochia de Boesinga jus patronatus dinoscitur obtinere, idem Terricus et Johannes in nostra presentia constituti eandem decimam et quicquid in ea juris habebant, in manus meas hominibus meis astantibus resignarunt. Ego autem prefatos homines meos secundum con-

1234.

suetudinem adjuravi per fidem quam michi debebant, ut dicerent mihi per judicium, utrum dicti Terricus et Johannes vel eorum heredes possent aliquid juris de cetero in prefata decima reclamare de jure. Qui cum dixissent per judicium, quod nec ipsi nec heredes ipsorum aliquid de cetero juris haberent in decima sepedicta, ego, ob remedium anime mee et antecessorum meorum et pro anniversario meo in illa ecclesia celebrando, ecclesie Yprensi eandem decimam cum omni jure quod ratione dominii habebam in ea, in manibus domini Lamberti, Yprensis prepositi, imperpetuum libere possidendam donavi. Quod ut ratum et firmum permaneat, presentem paginam sigilli mei appensione munivi. Actum apud Insulam, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto.

Registr. Rubrum, fol. 63.

133.

Privilegium pape quod sub ejus protectione sumus. Item quod sine causa manifesta nec excommunicari nec suspendi nec interdici possumus; quod si contra fiat, irritabitur.

1235. 13 Mars. Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Yprensis in Flandria, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, ad exemplar felicis recordationis Honorii pape, predecessoris nostri, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quis in vos vel ecclesiam vestram, sine manifesta et rationabili causa, competenti etiam monitione non premissa, excommunicationis aut interdicti vel suspensionis sententiam audeat promulgare, nisi excessus vester adeo fuerit difficilis et enormis, quod ordinem judiciarium non requirat; nos enim sententiam ipsam, si secus prolata fuerit, decernimus irritandam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis, inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii, III°. idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

Registr. Rubrum, fol. 136.

134.

Confirmatio domine comitisse super decima de Boesinghe.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Johanna, Flandrie ac Haynoie comitissa, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod cum Terricus Medem et Johannes Pari, burgenses de Ypra, decimam de Boesinga, que a castellano Insulensi tenebatur in feodum, per manum ejusdem castellani Yprensi ecclesie vendidissent, dilectus noster Lambertus, Yprensis ecclesie prepositus, attentius nos rogavit ut, quod factum fuerat de eadem decima, ratum haberemus et firmum. Nos igitur ejus precibus annuentes venditionem predictam auctoritate litterarum presentium confirmamus, conferentes eidem ecclesie quicquid juris ad nos in eadem decima ratione superioris dominii pertinebat. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense maio. 1235. Mai.

Registr. Rubrum, fol. 64.

135.

Confirmatio episcopi super eadem.

P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum fieri, quod nos emptionem, quam ecclesia Yprensis contraxit cum Terrico Medem et Johanne Pari, burgensibus Yprensibus, super decima de Boesingha, quam idem Terricus et Johannes de castellano Insulensi tenebant in feodum, sicut vidimus in auctentico ipsius contineri, ratam et firmam habemus, et eandem decimam Yprensi ecclesie concedimus ac presentis scripti patrocinio confirmamus. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense mayo. 1235. Mai.

Registr. Rubrum, fol. 64.

136.

Quod parochiani diebus dominicis et festivis venire ad ecclesias proprias possunt compelli.

P(etrus), Dei gratia Morinensis episcopus, venerabili viro et karissimo suo in Christo L[amberto], Yprensi preposito, salutem et sinceram in domino caritatem. Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod quidam ex parochianis vestris quasi pro consuetudine habent, ut ad ecclesias suas raro vel numquam veniant, ut hiis diebus eas maxime evitent, quibus predicari consuevit populo 1235. 7 Juin.

verbum Dei. Quia vero consuetudo ista reprehensibilis valde et periculosa esse dinoscitur, et ex ea mala gravissima, si duraverit, nascitura non immerito formidentur, vobis firmiter injungendo mandamus, quatinus in omnibus parochiis Yprensibus parochianos vestros publice moneri faciatis, ut singuli eorum singulis dominicis et festivis diebus ad proprias ecclesias veniant, et ibi cum divinis officiis audiant verbum Dei, nisi rationabili causa fuerint impediti. Quod si aliqui ex parochianis vestris hujus salubris amonitionis contemptores inventi fuerint, et a vobis sufficienter moniti super contemptu hujusmodi, qui carere non videtur scrupulo heretice pravitatis, coram vobis et decano nostro christianitatis Yprensis se purgare noluerint, excommunicationis vinculo astringatis. Datum anno Domini M°. CC°. XXX°. quinto, die jovis post trinitatem.

Registr. Rubrum, fol. 110.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. v. p. 355.

137.

Littera de decima de Boesinghe data per Aviciam, sororem uxoris Willelmi de Straten, militis.

1235. Juin. In nomine Patris etc. Ego Guillelmus de Straten miles notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod cum domina Avicia, soror uxoris mee, decimam quam tenet in Boesingha ad vitam suam de formortura Segardi, quondam mariti sui, Yprensi ecclesie, in cujus personatu sita est eadem decima, pro viginti quatuor libris percipiendam per triennium vendidisset, rogavit me ut eamdem ecclesiam securam facerem, et si dampnum aliquod ex predicta emptione per maliciam alicujus incurreret, ecclesia ipsa dampnum illud recuperaret de bonis, que predicta Avicia de me tenet in feodum apud Coppenholle. Ego igitur ad preces ejusdem Avicie creantavi ecclesie supradicte, quod si dampnum aliquod incurreret super predicta emptione per aliquem, ego ei faciam illud restitui de bonis, que apud Coppenholle sepedicta Avicia de me tenet in feodum, quicquid de ipsa interim divinitus fuerit ordinatum. Quod si ipsa Avicia decesserit infra triennium memoratum, cum post ejus decessum decima ipsa ad ipsam ecclesiam debeat pertinere, pensio residui temporis quo ad ecclesiam decima pertinebit, restituetur ecclesie de bonis predictis. Et ut super hoc ecclesia sit secura, presentes litteras sigilli mei appensione munivi. Actum anno Domini M°. CC°. XXX°. quinto, mense junio.

Registr. Nigrum, fol. 93.

138.

Consensus et confirmatio sententie arbitralis contra dominum de Calona et recognitio ejusdem coram episcopo. Item quod ballivus et scabini de Calona debent venire ad placita ecclesie nostre.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Willelmus, dominus de Calona, notum facio universis, quod sententiam arbitralem quam viri venerabiles abbas de Laude et W. decanus sancti Petri Insulensis, pro ecclesia beati Martini de Ypra contra me tulerunt super monteia et aliis articulis, qui in instrumento ipsius sententie continentur, inviolabiliter observabo, quitum clamans ipsi ecclesie in perpetuum omne jus quod in predicta monteia habere me credidi, tam in piscatione quam etiam in comitatu; et promisi eidem quod si aliquis de mee jurisdictioni subjectis in ipsa monteia sive in aquis ecclesie piscaretur, compellerem eum ad emendam solvendam ipsi ecclesie per meam secularem potestatem, et si aliquis de subjectis jurisdictioni ecclesie piscaretur ibidem, et non posset compelli ad solvendam emendam per Yprensem ecclesiam, ego vim meam apponerem ad eum compellendum. Promisit autem mihi ipsa ecclesia, quod in predicta monteia inter Lisiam fluvium et pontem Calone non ponet talia ingenia in filo aque, quin naves et pisces possint de Lisia fluvio transire in Calonam, ita tamen quod in illo filo ipsa ecclesia piscabitur omni genere ingeniorum, via piscibus et navibus reservata. Si vero aliquis de hominibus meis forisfecerit in comitatu ecclesie, debeo eum cogere ad solvendam emendam ecclesie; et si aliquis ex hominibus ecclesie forisfecerit in comitatu meo, ecclesia debet eum compellere ad solvendam emendam mihi. Et debeo facere, vel ballivus meus, ut scabini et jurati veniant ad placita ecclesie, quando voluerit placitare, et debent sedere ad judicandum, precone ecclesie proclamante secundum morem judicantium, et sic adjurati a nuntio ecclesie, per fidem qua tenentur domino, debent placita ecclesie fideliter terminare antequam mea; et sunt scabini et jurati de jurisdictione ecclesie sicuti de mea, quamdiu sunt in placitis ecclesie, si forisfecerint vel aliquid contra jus attemptare presumpserint. Poterit autem ipsa ecclesia fodere quociens et quantum et sicut voluerit in terris suis. Et hec predicta omnia promisi fide data, corporaliter etiam interposito juramento, firmiter et fideliter me servaturum; et ut ipsa ecclesia securior esset, presentes litteras sigilli mei appensione munivi. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo quinto, mense septembri. 1235. Septembre.

Registr. Rubrum, fol. 87.

139.

Confirmatio Henrici, archiepiscopi Remensis, quod parochiani venire ad ecclesias proprias possunt compelli.

1235. Octobre. Henricus, Dei gratia Remensis archiepiscopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Litteras venerabilis fratris nostri Morinensis episcopi vidimus sub hac forma. P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, venerabili viro et karissimo suo in Christo L[amberto], Yprensi preposito, salutem et sinceram in Domino caritatem. Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod quidam ex parochianis vestris et cetera ut supra. Datum ut supra (1). Dictam autem concessionem factam a predicto venerabili fratre nostro Morinensi episcopo, prout rationabiliter facta est, laudamus et confirmamus. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo quinto, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 111.

140.

De fraternitate cum ecclesia omnium Sanctorum in insula Cathalaunensi.

1235. Novembre. P. miseratione divina ecclesie omnium Sanctorum (2) in insula Cathalaunensi minister humilis, totiusque ejusdem ecclesie conventus universis presentes litteras inspecturis salutem et orationes in Christo. Universitati vestre notum facimus, quod nos venerabilibus amicis nostris et dilectis in Christo domino Lamberto, preposito, et conventui sancti Martini Yprensis sumus vinculo fraternitatis et societatis in hunc modum colligati, quod cum contigerit aliquem ex ipsis de hac vita decedere, nunciato ejus obitu officium sollempne in conventu et tricenarium, quemadmodum uni ex ipsis facere consuevimus, pro ipso facere tenebimur. Statuimus etiam pro universis ejusdem ecclesie Yprensis fratribus commune officium singulis annis fieri in festo sancti Eligii, Noviomensis episcopi, prima die decembris, et nomen domini Lamberti, prepositi, successorumque ejus in nostro kalendario scribi et anniversarium eorum in ecclesia nostra celebrari. Preterea si aliquis ex fratribus prefate ecclesie ad nos de licentia et permissione sui prepositi venerit, nobiscum erit in ecclesia, in capitulo, in dormitorio, in refectorio et in vestiario, et per omnia sicut unus de nostris tractabitur regulariter et benigne. Insuper omnium orationum, missarum, vigiliarum, jejuniorum et omnium bonorum, que in ecclesia nostra et in ecclesiis ad nostram ecclesiam pertinentibus fiunt et de cetero Domino inspirante fient, eisdem participationem

(1) Voir ci-dessus la pièce n° 136.

(2) Monastère d'Augustins près de Châlons sur Marne, nommé *Omnes-Sancti de Insula*, Toussaints.

integram concedimus humiliter et devote. Quod ut ratum et inconcussum permaneat, presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo tricesimo V°. mense novembri. Durent per evum. Amen.

Registr. Rubrum, fol. 68.

141.

Littere scabinorum quod omnes oblationes in veteri capella sancte Magdalene debent nostre esse.

Universis presentes litteras inspecturis scabini de Ypra salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum esse, quod nos de communi consilio et consensu concessimus, ut prepositus sancti Martini Yprensis celebrari faciat divina officia semel in ebdomada in capella que fuit leprosorum Yprensium, antequam transferrentur ad locum in quo modo est habitatio eorundem. Compositio autem que dudum facta fuit inter ipsam ecclesiam et prefatos leprosos, super oblationibus proventuris in capella ipsorum leprosorum et aliis articulis, sicut in privilegio nostro super hoc confecto inter ecclesiam memoratam et leprosos antedictos plenius continetur, servabitur in nova capella ipsorum et non in veteri, quia oblationes que provenient in veteri capella, ecclesia beati Martini integraliter percipiet, sicut percipit in aliis ecclesiis suis. Ut autem hec rata et firma imperpetuum perseverent, presentes litteras sigillo ville nostre duximus muniendas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense martio. 1235-36. Mars.

Registr. Rubrum, fol. 19.

142.

Quod antiqua compositio inter nos et leprosos Yprenses, que prius servabatur in antiqua domo leprosorum, modo debet servari in nova.

Universis presentes litteras inspecturis L[ambertus], prepositus, et capitulum sancti Martini Yprensis salutem in Domino. Universitati vestre volumus notum esse, quod nos de communi consilio et consensu promisimus scabinis et ville Yprensi, quod faciemus celebrari divina officia semel in ebdomada in capella que fuit leprosorum Yprensium, antequam transferrentur ad locum in quo modo est habitatio eorundem. Et notandum quod poterimus ibidem celebrare divina quotiens voluerimus, sed ad celebrandum plus quam semel in ebdomada non tenemur, nisi voluerimus. Compositio autem que dudum facta fuit inter ecclesiam nostram et prefatos leprosos, super oblationibus proventuris in capella ipsorum leprosorum et aliis articulis, sicut in privilegio nostro super hoc confecto inter ecclesiam nostram et leprosos antedictos plenius continetur, servabitur in nova capella 1236. Mars.

ipsorum et non in veteri, quia oblationes que provenient in veteri capella, ecclesia beati Martini integraliter percipiet, sicut percipit in aliis ecclesiis suis. Ut autem hec rata permaneant, presentes litteras sigillis nostris duximus muniendas. Actum anno domini millesimo CC°. XXX°. sexto, mense marcio.

Registr. Nigrum, fol. 19 (en vidimus).

Aux archives de la ville d'Ypres : original portant le sceau du prévôt de Saint-Martin et celui du chapitre, avec contre-scels ; transcription au *Wittenboek*, fol. 166.
Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 53 (analyse ; la dernière phrase inexacte).

143.

Nota quod horis quibus voluerit prepositus faciet celebrari in hospitali Lamberti Pedis.

1236. Octobre. P[etrus], Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre volumus esse notum, quod, conquerente venerabili viro L[amberto], Yprensi preposito, quod ad hospitale domine Margarete, relicte Lamberti Pedis, dominicis et festivis diebus, quibus in parochialibus ecclesiis consuevit predicari populo verbum Dei, ad divina populus confluebat eadem, Margareta predicta in nostra presentia constituta, ne populus predicationis solatio fraudaretur, consensit ut dominicis et festivis diebus idem prepositus in capella hospitalis predicti horis quibus voluerit divina faciat officia celebrari. Ut igitur hoc ratum et firmum permaneat, presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo sexto, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 16.

144.

Hic de custodia de Boesingha conferenda.

1236. Novembre. Universis presentes litteras inspecturis Lambertus, prepositus sancte Marie in Brugis, salutem in Domino. Universitati vestre volumus esse notum, quod cum Yprensis ecclesia contra parochianos de Boesinga super donatione custodie de Boesinga aliquamdiu coram nobis auctoritate [apostolica] litigasset, tandem procuratores partium in nostra presentia constituti confessi sunt partes ipsas composuisse interim in hunc modum. Singulis annis, in nativitate beati Johannis Baptiste, debent parochiani de Boesinga, cum presbytero suo, Yprensi preposito presentare custodem, et prepositus debet ei conferre custodiam illo anno, si fuerit ydoneus et nichil fecerit quare non debeat a dicto preposito beneficium optinere. Si vero ydoneus non fuerit vel gratiam non habuerit prepositi memorati, prepositus conferet illo anno custodiam cui volet. Si vero custos ille, postquam a preposito

custodiam acceperit, excessum talem commiserit propter quem debeat amoveri, prepositus eum, ad petitionem parochianorum et presbyteri, sive etiam sine petitione ipsorum, postquam de excessu illo ei constiterit, amovebit. Debent autem parochiani custodi illi, cui prepositus contulerit, providere in beneficio bona fide secundum consuetudinem hactenus approbatam. Et nulli debet prepositus conferre custodiam nisi presentato ab ipsis et presbytero, dummodo ydoneum presentaverint, et talem qui nichil tale fecerit propter quod eum prepositus debuerit vel voluerit refutare. Si vero minus ydoneum vel minus dignum presentaverint, vel in unam non potuerint convenire personam, prepositus poterit illo anno custodiam cui volet conferre, licet ab ipsis minime presentetur. Nos igitur rogati a procuratoribus partium compositionem predictam auctoritate apostolica duximus approbandam, et ut inviolabiliter observetur, presentes litteras sigillo nostro duximus muniendas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 65.

145.

De x. raserils avene et duodecim denarlis annui redditus in Ghelevelt.

J[ohanna], Flandrie et Hainoie comitissa, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos venditionem cujusdam terre jacentis in Ghelevelt, quam Egidius de Marc tenebat de nobis in feodum, de qua terra proveniunt decem raserie avene et duodecim denarii annui redditus, laudamus et approbamus a dicto Egidio factam esse ecclesie Yprensi, jure nostro remanente nobis in eadem terra sicut ante. In noticiam cujus rei presentes litteras fecimus scribi et sigilli nostri appensione muniri. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo septimo, mense julio. 1237. Juillet.

Registr. Rubrum, fol. 107.

146.

De xxiij. libris annui redditus a villa, pro terra ante portam nostram, et quod uti debemus ingeniis illic sitis sine exactione.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis scabini et commune de Ipra salutem in Domino. Notum facimus, quod cum controversia esset inter nos ex una parte, et ecclesiam beati Martini Iprensis ex altera, super finibus cujusdam terre jacentis inter stratam publicam et decursum aque que vocatur Ipra, ante portam ipsius ecclesie, tandem post multas altercationes in hanc formam pacis convenimus. Nos scabini et commune habebimus in perpetuum terram predictam, et ea terra libere utemur et ad ingenia facienda et ad alia negotia ville, prout ipsius ville utilitati viderimus expedire; hoc excepto, quod a porta dicte ecclesie 1237. Décembre.

usque ad predictum aque decursum non faciemus nec permittemus domos construi ad inhabitandum in eis. Sed super ingenia, si que fecerimus, facere possumus opertorium tamen ad ingenia salvanda, et hec ab occidentali parte strate publice versus decursum aque predicte, et ecclesia beati Martini Iprensis dictis ingeniis libere et sine aliqua exactione utetur, dum modo de cordis et servientibus sibi provideat. Debemus autem nos scabini et commune singulis annis solvere ecclesie memorate pro dicta terra in medio marcii undecim libras et dimidiam, et in festo sancti Bavonis tantumdem. Quod si in posterum aliquos redditus emerimus vel invenerimus vel habuerimus usque ad viginti tres libras Flandrenses infra villam Iprensem competentes, et illos ecclesie supradicte libere percipiendos assignaverimus, erimus absoluti a solutione redditus supradicti, et percipiet ecclesia memorata redditus quos ipsi assignabimus per partes, sed pars minor esse non debet quam marca dimidia in uno loco. Facta autem assignatione partis alicujus, fiet deductio de viginti tribus libris predictis secundum ratam partis assignate. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo septimo, mense decembri.

Registr. Rubrum, fol. 93.

Les archives de la ville d'Ypres possèdent des lettres originales de même teneur et de même date, mais delivrees par le prevôt et le chapitre de Saint-Martin, et munies de leurs sceaux. Voir Diegerick, *ouvrag' cit'*, t. I, p. 54, et aussi p. 53, n° 61.

147.

Quitatio de lx. libris solutis Johanni de Ghistella.

1238. 28 Avril. Ego Johannes de Ghistella, dominus de Formosellis, et ego Ysabella, uxor ejus, notum facimus universis, quod ecclesiam sancti Martini Iprensis quitamus et quitam clamamus de sexaginta libris Flandrensibus, quas Thome de Casleto, burgensi Iprensi, solverunt, presentium testimonio litterarum. Datum anno Domini M°. CC°. XXX°. octavo, feria quarta ante Philippi et Jacobi apostolorum.

Registr. Rubrum, fol. 77.

148.

Quod in hospitali Lamberti Pedis oblationes, quocumque modo fuerint oblate, nostre debent esse integraliter.

1238. Août. Petrus, Dei gratia Morinensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum ex officio pastorali nobis injuncto teneamur indempnitatibus ecclesiarum nostre dyoceseos precavere, curamque sollicitam adhibere, ut ordinationes, que per nos et in nostra presentia ad honorem Dei et pro servicio ecclesie statuuntur, ita scripto et sigilli munimine confirmentur, quod imperpetuum robur valeant obtinere, et ne malicia successorum possit aliquo modo super hoc in ecclesia Dei discordia excitare, inde est quod, cum quedam parochiana

nostra Margareta, relicta Lamberti Pedis, de bonis sibi a Deo collatis quandam domum hospitalem in villa de Ypra juxta ecclesiam sancti Petri fundaverit, et de assensu prepositi et capituli sancti Martini Yprensis concesserimus, quod divina officia celebrentur in quadam capella ibidem per dictam mulierem de bonis suis edificata, cui munus dedicationis impendimus, de oblationibus in eadem capella offerendis taliter duximus ordinandum, quod supradicti prepositus et capitulum omnes oblationes, quecumque fuerint, vel in manu sacerdotis missam celebrantis, vel infra capellam, vel extra capellam quocumque modo oblate, imperpetuum percipient et integraliter, ita quod nichil penitus de dictis oblationibus in aliquos alios usus convertetur, nisi per dispositionem et voluntatem eorumdem. In cujus rei testimonium et robur presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Datum anno Domini M°. CC°. tricesimo octavo, mense augusti.

Registr. Rubrum, fol. 16.

149.

Littera qua castellanus sancti Audomari dedit ecclesie nostre in privilegio, quod possumus habere vj. dolia vini in villa sancti Audomari absque foragio solvendo.

Noverint universi presentes pariter et futuri, quod ego Willelmus, de sancto Audomaro castellanus, dedi et concessi ecclesie beati Martini Yprensis, ob remedium anime mee et antecessorum meorum, foragium sex doliorum vini in castro sancti Audomari libere et quiete in perpetuum tenendum et habendum, ita quod nuncius ecclesie Yprensis fidem suam tenetur dare servienti foragium in castro sancti Audomari colligenti, quod vinum emptum erit ad usus fratrum ecclesie memorate. Ut autem ista donatio et concessio singulis annis rata permaneat in perpetuum et firma, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M°. ducentesimo tricesimo octavo, mense januario. 1238-39. Janvier.

Registr. Novum, fol. 187.

150.

De strata vendita a Willelmo de Calona, et de ejus translatione cum ponte et de tota jurisdictione ecclesie. Item quod Willelmus non debet aliquid facere per quod monteia impediatur. Item littere de quatuor jornallis prati venditis nobis cum comitatu et districtu.

Ego Willelmus miles, dominus de Calona, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod viris venerabilibus L[amberto], preposito, et capitulo sancti Martini Yprensis quatuor jornalia prati immediate adherentia prato ipsorum versus aquilonem a prato ecclesie sancti Martini Yprensis, jacentia supra rivum exeuntem a flumine quod dicitur Calona, pro centum libris artisiensium vendidi pacifice possidenda, et eos quitavi ab obligatione octo solidorum 1239.

annui redditus et octo caponum similiter annui redditus, quos dicti prepositus et conventus sancti Martini Yprensis annis singulis mihi reddere tenebantur. Insuper vendidi eisdem stratam cum omnibus ei radicitus adherentibus, jacentem juxta curtim ipsorum versus occidentem extensam a vivario meo, quod dicitur Beauvoir, versus meridiem usque ad terminos terre et aque ipsorum. Istam autem stratam cum ponte Riquardi sito in ea debeo transferre ad locum alium, et transibit strata illa per terram Berte molendinarie et per pratum Johannis Makerel et per terram quam ego emi a majore de Calona, et per partem occidentalem mansure Johannis dicti Anglici; et omnia ista debeo facere meis sumptibus, ut sic directe possint homines et jumenta, currus et aurige transire a strata veniente de sancto Venantio per pontem ibidem situm ad stratam que ducit Bethuniam. Preterea concessi dicte ecclesie, quod habebit duos pedes terre in latum in via que tendit a mansura Willelmi Oliri usque ad terram libertatis ecclesie, et dictam stratam cum dictis quatuor jornalibus prati debet ecclesia sancti Martini Yprensis libere possidere cum omni jurisdictione, dictrictu et comitatu. Preterea notandum quod nec ego nec successores mei poterimus deducere aquam Calone vel marischi nisi per unum meatum, scilicet ubi pons erat Riquardi eo tempore quo hec acta sunt, nisi forte ad vivarium meum per ghotam ligneam habentem pedis latitudinem. Nec debeo aliquid facere vel fodere nec successores mei, per quod monteia ecclesie impediatur. Item ad majorem ecclesie securitatem tres de feodatis meis, scilicet Petrum, filium Balduini Parvi, et Walterum de Belesaises et Giliotem de Calona, nepotem meum, posui debitores de predictis omnibus firmiter tenendis ecclesie, in presentia feodatorum meorum apud Calonam et scabinorum, ita quod, si aliquis vel ego vel de successoribus meis heredibus injuriam faceret vel permitteret fieri ecclesie Yprensi, isti tres vel eorum heredes de bonis suis et feodis tenerentur satisfacere ecclesie de centum libris et insuper de dampnis, que ecclesia super vendicione predicta incurreret. Et hec omnia me observaturum juravi, tactis sacrosanctis, in presentia domini episcopi Atrebatensis, ordinarii mei, supponens me et meos jurisdictioni ipsius censura ecclesiastica ad conventionem predictam observandam compellendos. Actum anno domini M°. CC°. tricesimo nono.

Registr. Rubrum, fol. 83.

151.

Confirmatio comitis Attrebatensis super quatuor jornaliis prati, emptis a Guillelmo de Calona.

1239. Octobre. Robertus, frater domini regis Francorum, comes Attrebatensis, universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod nos concessimus venditionem, quam dilectus et fidelis Guillelmus de Calona fecit canonicis sancti Martini de Ypra, de quatuor jornaliis prati siti apud Calone, et de octo solidis et octo caponibus annui redditus, quos denarios et capones annui redditus

dicti canonici predicto Guillermo debebant, ut dicitur, annuatim, et que omnia de feodo nostro movebant. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum Parisiis, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 89.

152.

Littere episcopi Attrebatensis super omnibus premissis et super dote uxoris et dampnis.

Asso, Dei gratia Attrebatensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Willelmus miles, dominus de Calona, et Mathildis, uxor ejus, viris venerabilibus L[amberto], preposito, et capitulo sancti Martini Yprensis quatuor jornalia prati immediate adherentia prato ipsorum versus aquilonem a prato ecclesie sancti Martini Yprensis, jacentia supra rivum exeuntem a flumine quod dicitur Calona, pro centum libris artisiensium vendiderunt pacifice possidenda, et eos quitaverunt ab obligatione octo solidorum annui redditus et octo caponum similiter annui redditus, quos dicti prepositus et capitulum sancti Martini Yprensis annis singulis eisdem reddere tenebantur. Insuper vendiderunt eisdem stratam cum omnibus ei radicitus adherentibus, jacentem juxta curtem ipsorum versus occidentem extensam a vivario suo, quod dicitur Biau Veoir, versus meridiem usque ad terminos terre et aque ipsorum. Istam autem stratam cum ponte Ricart sito in ea debent dicti miles et ejus uxor transferre ad locum alium, et transibit strata illa per terram Berte molendinarie et per pratum Johannis Makerel et per terram quam emerunt dicti miles et ejus uxor a majore de Calona, et per partem occidentalem mansure Johannis dicti Anglici; et omnia ista debent facere dicti miles et ejus uxor suis sumptibus, ut sic directe possint homines et jumenta, currus et aurige transire a strata veniente de sancto Venantio per pontem ibidem situm ad stratam que ducit Bethuniam. Preterea concesserunt jam dicti miles et ejus uxor dicte ecclesie, quod habebit duos pedes terre in latum in via que tendit a mansura Willermi Oliri usque ad terram libertatis ecclesie, et dictam stratam cum dictis quatuor jornalibus prati debet ecclesia sancti Martini Yprensis libere possidere cum omni jurisdictione, districtu et comitatu. Et quia dicta summa pecunie conversa est in utilitatem et profectum Mathildis, uxoris dicti militis, juravit ipsa tactis sacrosanctis, quod contra prenominatam venditionem processu temporis non veniret. Preterea notandum quod nec dicti miles et ejus uxor nec successores eorum poterunt deducere aquam Calone vel marisci nisi per unum meatum, scilicet ubi pons erat Ricouart eo tempore quo hec acta fuerunt, nisi forte ad vivarium dicti militis per ghotam ligneam habentem pedis latitudinem. Item ad majorem ecclesie securitatem tres de feodotariis suis, scilicet Petrum, filium Baldevini Parvi, et Walterum de Beles Aises et Giliotem de Calona, nepotem dicti militis, qui

1239. Novembre.

cum minor esset viginti quinque annis major tamen quatuordecim, juravit quod contra ea que hic acta sunt restitutionem in integrum non postularet nec eis aliquatenus contrairet, posuit debitores de dictis omnibus ecclesie sancti Martini Yprensis firmiter observandis, et predicti feodotarii se debitores constituerunt centum librarum artisiensium, [ita quod] si predictus miles vel ejus uxor vel aliquis de successoribus eorum ecclesie sancti Martini super venditione illa injuriam faceret vel ab alio fieri sustineret, ipsi de bonis suis et feodis de dictis centum libris ecclesie sancti Martini predicte sub juramento ab ipsis corporaliter interposito satisfacere tenerentur, et insuper de dampnis que ecclesia predicta occasione dicte venditionis incurreret. Et hec omnia se observaturum juravit dictus miles, tactis sacrosanctis, coram nobis supponens se et sua jurisdictioni nostre, ut eum censura ecclesiastica ad dictam conventionem observandam compellere possemus. In cujus rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Domini M°. CC°. tricesimo nono, mense novembris.

Registr. Rubrum, fol. 84.

153.

Quod terra omnis Beghinarum nostra est et censualis pro quinque solidis annuatim a Beghinis solvendis.

1240. Juin. Universis presentes litteras inspecturis L[ambertus], prepositus sancti Martini Yprensis ecclesie, et J. decanus ejusdem ecclesie, et capitulum salutem in Domino. Noverint universi, quod cum quidam burgensis de Ypra contulisset ecclesie beati Martini de Ypra quandam terram in loco qui dicitur Briel, prope ecclesiam beate Marie versus orientem, ad annuum censum lx. solidorum, nos ad petitionem tunc Flandrie et Hannonie comitis, capitulo consentiente et ad hoc convocato, contulimus eam pro remedio animarum nostrarum et benefactorum nostrorum pauperibus mulieribus, que Beghine vocantur, presentibus et futuris, sub eodem censu lx. solidorum perpetuo possidendam, tali conditione, quod prepositus tenebitur respondere dicto burgensi et suis heredibus de predicto censu, et mulieres sepedicte in lx. solidorum alborum annuatim preposito tenebuntur, nec prepositus vel capitulum poterunt aliquid ex eis, quantum ad predictam terram, preterquam censum sepedictum, nisi ea que ad curam animarum suarum pertinerent, aliquatenus eis invitis postulare. Quod si forte contingeret quod aliquis pro remedio anime sue censum predictum vellet in parte vel in toto redimere vel alibi assignare, ut Beghine ab eodem quitarentur, prepositus et ecclesia dictam redemptionem vel assignationem tenentur recipere, et eas secundum quantitatem assignamenti quitare. Nec penitus a dicto censu poterunt Beghine quitari, quin dictam terram cum appendiciis suis semper teneant ab ecclesia, ad minus per v. solidos persolvendos annuatim ecclesie sepedicte, hoc addito, quod in predicta terra capellam vel monasterium aliquod sine assensu prepositi, decani et capituli nostri per se vel per alios construere nullatenus attemptabunt. Ut autem predicta robur firmitatis obtineant futuris

temporibus, presens scriptum appensione sigilli capituli nostri fecimus roborari. Ego vero J[ohanna], Flandrie ac Hainonie comitissa, ad petitionem dicti capituli et Beghinarum obligavi me et successores nostros, ut tanquam domini terre inviolabiliter supradicta faciant observari. In cujus rei testimonium sigillum meum apposui. Actum anno Domini milesimo ducentesimo quadragesimo, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 13.

154.

Confirmatio domini Jacobi, Penestrinensis episcopi, de compositione inter prepositum beati Martini Yprensis et conventum, super institutione decani ecclesie nostre.

Frater Jacobus, miseratione divina Penestrinensis episcopus, apostolice sedis legatus licet indignus, dilecto filio preposito monasterii beati Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyocesis, salutem in Domino. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per officii nostri sollicitudinem ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis petitionibus grato concurrentes assensu compositionem, que inter te ex una parte, et conventum ejusdem monasterii ex altera, super institutione decani dicti monasterii amicabiliter, sicut asseris, per venerabilem priorem Morinensem episcopum intervenit, prout in litteris exinde confectis plenius dicitur contineri, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Parisius, II°. nonas decembris, anno Domini M°. CC°. quadragesimo.

1240. 4 Décemb.

Registr. Nigrum, fol. 34.

155.

Littera nobilis viri Thome, Flandrie et Hanonie comitis, directa omnibus ballivis patrie Flandrensis, per quam eis precipit, ut ex parte ipsius ecclesiam nostram teneant in sua protectione.

Thomas, Flandrie et Hainonie comes, universis ballivis suis per Flandriam constitutis, salutem et dilectionem. Cum personas ecclesiasticas et bona ipsorum protegere et defendere teneamur et volumus, ecclesiam beati Martini Yprensis, quam affectu diligimus speciali, vobis eam committimus, mandantes vobis et precipientes, quatinus quotienscunque ab ea requisiti fueritis, favorabiles et

1241-42. 17 Janvier.

benignos erga ipsam vos exhibere curetis in eorum justicia promovenda, ut a nobis gratiam mereamini ampliorem, et dicta ecclesia nobis teneatur ad multimodas gratiarum actiones. Satisfecit enim nobis sepedicta ecclesia, de injuria Rainero quondam ballivo Yprensi irrogata, in tantum, quod nos ei omnem malivolentiam et rancorem remisimus. Et hanc eidem ecclesie gratiam facimus, quod omnia bona que legitime hucusque acquisierit, rata habemus et grata, et ea presentibus confirmamus. Datum in Mormailles, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, feria sexta post octavas epyphanie.

Registr. Nigrum, fol. 33.

Imprimé dans Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V. p. 358.

156.

Privilegium et confirmatio Innocentii pape quarti de possessionibus et bonis nostris omnibus.

1243. 30 Mars. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem terras, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III°. kal. aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 140.

157.

Hec littera nullius valoris est pro nobis.

1243. 23 Octobre. Ego Michael de Ypra, miles, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod ego omnes filios quos soror mea Margareta habuit ex Johanne Episcopo, quondam clerico ville Yprensis, videlicet Nycholaum, Robertum, Jacobum et Aelidum sub me suscipio, quod nunquam in posterum super venditione et guerpitione decem solidorum hereditarii redditus in parochia de Zelebeke jacentis, quam

Johannes dictus Episcopus, clericus, eorum frater (?), coram scabinis Yprensibus foraneis fecit, aliquid attemptabunt, quod kalende clericorum Yprensium cedere valeat in gravamen super decem solidis antedictis. Quod si aliquid attemptare super dictis x. solidis presumpserint, ego illos sine contradictione aliqua coram scabinis foraneis de Ypra accedere faciam guerpitioni faciende super dictis decem solidis, prout lex terre exigit et requirit, presentium testimonio litterarum. Actum anno Domini M°. CC°. quadragesimo tercio, mense septembri, feria sexta ante festum Symonis et Jude. Et ego Johannes Bonus, confrater ante dicte kalende, hoc signum ✠ feci (1) et presentes litteras composui et notavi.

Registr. Novum, fol. 98.

Imprimé dans Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. v. p. 359.
Cet auteur fait remarquer avec raison que dans la date de cette pièce il faut lire *octobri* au lieu de *septembri*, la fête de saint Simon et saint Jude tombant le 28 octobre. Peut-être faut-il remplacer aussi dans le texte, ligne 6, *frater* par *pater*.

158.

Resignatio usus fructus quem uxor domini Zegardi de Monte habebat in decima de Boesinghe.

Ego Avicia, domina de Eka, notum facio universis, quod ego usum fructum sexte partis tocius decime de Boesinghes, qui usus fructus michi nomine dotalicii competebat, ob remedium pie memorie domini Zegardi, quondam mariti mei, necnon et anime mee, libere contuli ecclesie beati Martini Yprensis perpetuo possidendum, verum etiam quicquid mihi juris in predicto usu fructu aut nomine dotalicii seu modo alio competebat vel competere poterat, in manus L[amberti] prepositi ad opus predicte ecclesie resignavi, promittens eidem fide media, quod si dicta ecclesia per me vel per heredes meos super predicto usu fructu dampnum aliquod ullo unquam tempore vel dispendium sustineret, ego predicta Avicia, secundum dictum prepositi, Yprensi ecclesie resarcirem et etiam interessem; super quo omnia bona mea in Eka, que jure proprietatis possideo, dicte ecclesie obligavi. Ut autem predicta donatio perpetuam habeat firmitatem, presentem paginam sigillo proprio roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, mense martio. 1243-44. Mars.

Registr. Rubrum, fol. 64.

(1) Le même signe est encore ci-après aux nos 161 et 165. Comme on le voit, le clerc de la vierscare a voulu représenter les armoiries de la ville d'Ypres; les copistes des cartulaires ont imité son trait plus ou moins exactement.

159.

Littere duorum testium super dicta resignatione.

1243-44. Mars. Nos Philippus de Ypra et Thomas de Nieukerke milites notum facimus universis, quod nos presentes fuimus et tam ab ecclesia sancti Martini Yprensis quam a domina Avicia de Eka, relicta domini Segardi militis de Monte, in testimonium evocati, ubi dicta Avicia usum fructum sexte partis tocius decime de Boesinghe, qui sibi nomine dotalicii competebat, ecclesie sancti Martini Yprensis libere contulit perpetuo possidendum, verum etiam quicquid sibi juris in predicto usu fructu nomine dotalicii seu alio modo competiit vel competere poterat, in manus L[amberti] prepositi ad opus ecclesie predicte resignavit, promittens fide media eidem, quod si dicta ecclesia per eam vel per heredes suos super predicto usu fructu dampnum aliquod vel dispendium ullo quicquam tempore sustineret, dicta Avicia, secundum dictum prepositi, Yprensi ecclesie resarciret et etiam interesset. Super hoc etiam sepedicta Avicia omnia bona sua in Eka, que jure proprietatis possidet, sepedicte ecclesie obligavit. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense martio.

Registr. Rubrum. fol. 64.

160.

Privilegium pape quod a nobis aut hominibus seu mansionariis nostris pro relaxanda suspensionis sententia pecunia non exigatur.

1244. 18 Mars. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui monasterii sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita si quidem nobis vestra petitio continebat, quod nonnulli ecclesiarum prelati ac eorum officiales, lucra querentes in dispendiis alienis, in vos et homines ac mansionarios vestros aliquando, sine manifesta et rationabili causa, suspensionis, interdicti seu excommunicationis sententias promulgare presumunt, relaxationem ipsarum tam diu in multorum scandalum protrahentes, donec pro relaxandis eisdem novem libras et unum denarium, vel aliam certam a vobis emende nomine extorqueant pecunie quantitatem; et si contingat eosdem dictas relaxare sententias, vobis injungunt, ut emende nomine ipsis predictam pecuniam persolvatis; quam si non possitis solvere vel nolitis, iidem vos ac eosdem homines et mansionarios in pristinas sententias reducere non verentur, antiquam super hoc in sue temeritatis

subsidium consuetudinem pretendentes. Cum igitur consuetudo hujusmodi sit omnino testabilis, tanquam manifeste opposita canonicis institutis, ne a vobis ac predictis hominibus et mansionariis pro relaxatione sententiarum hujusmodi aliqua pecunia de cetero exigatur, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV°. kal. aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 141.

161.

Littera de quadam domo situata in vico d'Elverdincstrate data ad censam perpetuam pro xxij. solidis et ij. caponibus annuatim solvendis.

Nos scabini de Ypra notum facimus presentibus pariter et futuris, quod Theodericus Baderel, frater Ogive, relicte Lamberti Ventris, clerici, Willelmo Pastenacke et ejus heredibus mansuram in Elverdincstrata inter domum Lamberti Pastenaken versus occidens et domum Walteri Rike, quam ad presens Johannes Ruse inhabitat, versus oriens sitam, pro viginti duobus solidis et duobus caponibus annuatim et hereditarie persolvendis, contulit hereditarie possidendam. Ut igitur hec donatio firma et stabilis permaneat, presentes litteras sigillo ville nostre dedimus roboratas. Testes scabini Theodericus Medem, Johannes Boudraven, Nicholaus Mont, Nicholaus Auriga, Christianus Bardonc, Lambertus de Scotes, et Nicholaus Hamman presentium testimonio litterarum. Et ego Johannes Bonus hoc signum † feci et presentes litteras composui et notavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, mense aprilis. 1245. Avril.

Registr. Novum, fol. 75, et *Registr. Rubrum*, fol. 100 (en abrégé).

162.

Littera quod de octo libris collatis conventui beate Marie de Busco in elemosinam reservaretur facere quod abbatissa fecit.

P[etro], Dei gratia preposito beati Martini Yprensis, M. ejusdem permissione abbatissa, et conventus beate Marie de Busco salutem et tam paratam quam devotam ad beneplacita voluntatem. Placet nobis et gratum habemus, quicquid domina abbatissa nostra pro dispositione voluntatis sue ordinavit de elemosina octo librarum nobis ab L[amberto] bone memorie, predecessore vestro, pro remedio anime sue ad usum ecclesie nostre collatarum, scientes quod nos usque ad valorem duodecim solidorum annui redditus loco dicte elemosine recepimus ab 1245-46. 16 Mars.

eadem. Et ne vobis in dubium veniat, presentem cartulam sigillorum nostrorum munimine dedimus roboratam. Datum anno Domini M°. CC°. XL°. quinto, feria sexta ante *Letare Jherusalem*.

Registr. Rubrum, fol. 33.

163.

Privilegium quod non tenemur ad receptionem vel provisionem alicujus.

1246. 11 Septemb. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Utilitatibus ecclesie vestre paterna volentes imposterum sollicitudine providere, devotionis vestre precibus inclinati, ut ad receptionem seu provisionem alicujus in pensione vel beneficio ecclesiastico per litteras apostolicas, que de hac indulgentia expressam non fecerint mentionem, compelli de cetero non possitis, auctoritate [presentium] vobis indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, III°. ydus septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Registr. Rubrum, fol. 140.

164.

Confirmatio venditionis que sequitur per abbatem Premonstratensem.

1246. Novembre. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, C. Dei patientia abbas Premonstratensis, salutem in Domino. Tenore presentium noverint universi, quod nos venditionem illam, quam venerabilis frater W[alterus] abbas et conventus Grimbergensis fecerunt cum viris religiosis preposito et conventu sancti Martini de Ypra, de redditibus, quos Grimbergensis ecclesia annuatim percipere consuevit ibidem, ratam habemus et approbamus. In cujus ratihabitionis testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Datum Lugduni, anno Domini M°. CC°. XL°. sexto, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 44.

165.

De viginti solidis annui redditus super mansuram Johannis Kardekin.

1246. 20 Décemb. Nos scabini de Ypra notum facimus presentibus pariter et futuris, quod ecclesia beati Martini Yprensis habet viginti solidos annuatim et hereditarie persolvendos in mansura quam Johannes Kardekin ad presens inhabitat, in vico Butiri, inter duos pontes, inter domum Cocsins et domum Willelmi Balg sita, quos

magister Johannes Bonus, clericus noster et juratus, habuit in eadem; hoc notato, quod si quid de dictis viginti solidis defecerit, defectum solutionis dictorum viginti solidorum recuperabit in mansura juxta forum sita, quam quondam Salomon Upoghe inhabitavit, ecclesia memorata; et perquiti erunt et absoluti tres firtones Flandrensis monete, quos predicta ecclesia recipere solebat in mansura Salomonis memorati. Quod ne hec ab humana tollantur memoria, presenti scripto sigillum ville nostre duximus apponendum. Testes scabini Hughelotus Broderlam, Lambertus Stalin, Willelmus Balg, Michael Rugghinvoet, Michael Reinbreght, Salomon Morin, Hughelotus Lotin, Nicholaus Mont, Johannes Anguilla et Christianus Bardonc presentium testimonio litterarum. Et ego Johannes Bonus hoc signum † feci et presentes litteras composui et notavi. Actum super terra, ante festum beati Thome apostoli, anno Domini millesimo CC°. quadragesimo sexto, mense decembri.

Registr. Rubrum, fol. 93.

166.

Littere venditionis omnium reddituum quos habuerunt illi de Grimberghe in Ypra.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Walterus, Dei pacientia abbas et canonicus Grimbergensis, salutem in omnium salvatore. Noverint universi, quod nos vendidimus legitime et absolute viris religiosis preposito et conventui sancti Martini de Ypra omnes redditus nostros, quos usque ad diem confectionis presentium litterarum habuimus infra ambitum murorum de Ypra, omni juri quod in eisdem redditibus habuimus vel habere potuimus, libere et absolute renuntiantes, et hoc de consensu et beneplacito venerabilis prioris nostri abbatis Premonstratensis, cujus super hoc litteras predictis preposito et conventui exhibuimus, licentiam et consensum ejusdem abbatis Premonstratensis continentes. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense januario. 1246-47. Janvier.

Registr. Rubrum, fol. 44.

167.

Hic est specificatio reddituum predictorum.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis W[alterus], Dei patientia abbas, et conventus Grimbergensis salutem in Domino. Noverint universi, quod nos legitime vendidimus viris religiosis preposito et conventui sancti Martini Yprensis quosdam redditus perpetuos, quos infra ambitum murorum de Ypra percipere consuevimus annuatim, omni juri quod in eisdem redditibus hactenus habuimus vel habere potuimus, libere et absolute renuntiantes. Ut autem sciantur bona de quibus predicti redditus solvuntur annuatim, sed et nomina eorum qui venditionis tempore predicta bona tenuerunt, hec taliter specificamus. De 1246-47. Janvier.

mansura Michaelis de Houke, sita in Hontstrata, solvuntur quatuor libre Flandrenses. De mansura Boidini Ricolf, in Hontstrata, iiij. solidi. De mansura Lambini Theodorici, non longe a Templo, quatuordecim solidi. In mansura Nicholai Helene, in Boterstrate, tres libre. De halla Yprensi quadraginta solidi et sex denarii. Solvuntur autem dicti redditus bis in anno, medietas scilicet eorum in medio martio, et alia medietas ad festum sancti Bavonis. Possidebunt autem memorati prepositus et conventus prefatos redditus cum eo per omnia jure et libertate quo nos eosdem possedimus usque in presens. Et nos libere et absolute renuntiavimus et per presentes litteras imperpetuum renuntiamus beneficio vel munimento omnium litterarum vel cartarum, quas usque in presens habuimus vel habere potuimus super redditibus memoratis, et hoc sive apud nos sive apud quoscumque de cetero reperiantur. Peracta sunt autem hec de licentia et consensu venerabilis in Christo patris nostri abbatis Premonstratensis, cujus super hoc litteras contulimus preposito et conventui sepedictis, anno Domini M°. CC°. quadragesimo sexto, mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 44.

168.

Quod Innocentius papa contulit privilegium rectoribus ville Yprensis tale, quod nec legatus nec subdelegatus nec quivis alius nuncius apostolicus valeat in ipsos excommunicationis, in villam interdictionis sententias promulgare.

1247. 21 Avril. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis scabinis et universitati ville Yprensis, Morinensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Tranquillitati vestre, quam per maliciam aliquorum judicum turbari *novimus*, paterna sollicitudine providere volentes auctoritate presentium vobis indulgemus, ut nullus delegatus sedis apostolice vel subdelegatus ab eo, conservator seu etiam exsecutor a sede deputatus eadem in vos excommunicationis aut in universitatem ville Yprensis seu in ipsam villam interdicti sententias valeat promulgare, absque speciali mandato nostro faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, XI°. kalendas maii, pontificatus nostri anno quarto.

Registr. Novum, fol. 181 (en vidimus).

Aux archives de la ville d'Ypres: original avec bulle en plomb; transcription au *Wittenboek*, fol. 90, et au *Geluwenboek*, fol. 20.

Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 64, n° 74. — Sur les abus commis à Ypres par le clergé, voir aux archives de la même ville six autres bulles d'Innocent IV, données au commencement de 1247. Elles sont renseignées et analysées dans l'*Inventaire* sous les n°s 69 à 75.

169.

Littera per modum vidimus sub sigillo episcopi Attrebatensis, de comitatu tradito ecclesie nostre a Roberto comite Flandrie.

Jacobus, Dei gratia Atrebatensis episcopus, universis presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos privilegium illustris viri Roberti bone memorie, quondam comitis Flandrensis, ecclesie beati Martini Yprensis concessum, non abolitum, non cancellatum, non aliqua in parte viciatum inspeximus in hec verba. † In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quia ego Robertus, Dei gratia comes Flandrensis (*le reste comme ci dessus*, n° 3). Datum anno Domini M°. CC°. quadragesimo octavo, mense julio. 1248. Juillet.

Registr. Nigrum, fol. 34.

170.

Littera per modum vidimus sub sigillis abbatum de Dunis et de Doza, mentionem faciens de terra que jacet juxta Obstal et aliis traditis a Roberto, comite Flandrie, ecclesie nostre.

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis N. sancte Marie de Dunis et H. sancte Marie de Doza abbates, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos privilegium illustris viri Roberti bone memorie, quondam comitis Flandrensis, ecclesie beati Martini Yprensis concessum, non abolitum, non cancellatum, non aliqua sui parte viciatum inspeximus in hec verba. † In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quia ego Robertus, Dei gratia comes Flandrensis (*suit la charte donnée ci-dessus*, n° 3). Datum anno Domini M°. CC°. quadragesimo octavo, mense julio. 1248. Juillet.

Registr. Nigrum, fol. 61.

171.

Littera per modum vidimus sub sigillis abbatum de Dunis et de Doza, de privilegio comitatus nostri nobis tradito ab illustri viro Karolo, quondam comite Flandrie.

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis N. sancte Marie de Dunis et H. sancte Marie de Doza abbates, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos privilegium illustris viri Karoli bone memorie, 1248. Juillet.

comitis Flandrensis, ecclesie beati Martini Yprensis concessum, non abolitum, non cancellatum, non aliqua sui parte viciatum inspeximus in hec verba. † In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quia ego Karolus, Dei gratia comes Flandrensium (*suit la charte donnée ci-dessus*, n° 7). Datum anno Domini M°. CC°. quadragesimo octavo, mense julio.

Registr. Nigrum, fol. 36.

172.

Littera de xv. jornatis terre et quarta parte venditis nobis, et quod eas liberas et immunes [tenemus] ab omni onere feodi et alio.

1248. Juillet. Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis Willelmus de Calona miles supra Lisiam et Giselinus, filius ejus major natu, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod domina Alais de Calona vendidit bene et legitime ecclesie sancti Martini Yprensis quindecim jornatas et quartam partem unius jornate terre de feudo de Estainwerc, quarum jornatarum novem et quarta pars jacet supra vicum de Molendino et sex apud Houssieres, ad habendum, tenendum ac possidendum et quicquid deinceps ipsi ecclesie placuerit faciendum, cum finibus suis vel siqui alii sint et accessibus et egressibus suis usque in viam publicam, et cum omnibus et singulis supra se et infra atque intra se habitis in integrum, et cum omni jure, actione, usu, seu requisitione ipsi Alais ex ea vel pro ea terra aliquo modo pertinente sive spectante, pro precio triginta trium librarum parisiensium, quod totum confessa fuit coram nobis Willelmo de Calona milite predicto tanquam coram domino, a quo dictum feudum tenuit Alais predicta, et coram hominibus et scabinis meis inferius annotatis. In cujus terre possessionem inductus est Arnulphus, presbyter cellerarius dicte ecclesie, nomine ejusdem, et promisit dicta Alais pro se suisque heredibus ipsi Arnulpho pro sua ecclesia stipulanti litem nec controversiam movere, sed dictam terram ab omni homine et universitate defendere legitime, et cui dederint auctorari, et omne dampnum et expensas restituere, quod incurrent vel quas facient pro defensione terre predicte, nec contra predicta nec aliquod predictorum per se vel alium aliquem facere vel venire occasione majoris precii nec alia quacumque, renuntians non numerati et non soluti sibi precii exceptioni, et omni juris auxilio, per quod dicta vendicio possit robur amittere firmitatis. Et insuper nos Willelmus et Giselinus venditioni huic consensimus, et penitus renuntiamus atque remisimus dicte ecclesie emptrici omne jus omnemque actionem realem et personalem, utilem et directam, quod et quam in dicta vel pro dicta terra vendita habebamus vel habere in futurum poteramus adversus dictam ecclesiam, occasione proprietatis nude vel plene, usus fructus, vel alia quacunque ratione vel occasione, promittentes pro nobis nostrisque heredibus dicto Arnulpho

pro sua ecclesia stipulanti dicta rata et firma perpetuo habere atque tenere, nec contra per se vel alium facere vel venire occasione aliqua, presertim cum nos Willelmus miles et Giselinus dictam terram, que a nobis in feudum tenebatur, liberam fecerimus et clamaverimus immunem ab omni jure et honere feudali et ab omni genere servitutis. Et hec omnia facta sunt coram hominibus meis, scilicet Tirico de Calona, Giloto, Waltero de Beles Aises, Willelmo molendinario, Roberto Pineleu et Johanne Majori et coram scabinis, scilicet Bertholomeo dicto Mouton, Michaele Narvete, Jacobo de Ham, Willelmo de Beles Aises, Johanne Lamol et Hannerico molendinario et coram aliis probis viris. In cujus rei testimonium presentes litteras ecclesie predicte ad petitionem domine Alais prefate sigillorum nostrorum munimine concessimus roboratas. Datum et actum anno Domini M°. CC°. XL°. octavo, mense julio.

Registr. Rubrum, fol. 88. *et Registr. Novum*, fol. 92.

173.

Quod possessiones et alia bona omnia, exceptis feodis, fratrum nostrorum decedentium petere, recipere et retinere possumus, que eis ex formortaria contingerent.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestre precibus inclinati, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, exceptis feudalibus, que liberas personas fratrum ad monasterium vestrum, mundi relicta vanitate, volantium et professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo ratione successionis, vel quocumque alio justo titulo contigissent, petere, recipere ac retinere libere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, XVII°. kal. augusti, pontificatus nostri anno septimo. 1249. 16 Juillet.

Registr. Rubrum, fol. 141.

174.

Privilegium bonum quod non tenemur ad solutionem debitorum, nisi conversa fuerint in utilitatem monasterii nostri.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui monasterii sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Volentes indempnitati monasterii vestri paterna sollicitudine precavere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut non teneamini ad solutionem debitorum, nisi probari possit ea conversa 1249. 1er Octobre.

fuisse in utilitate monasterii memorati. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

Registr. Rubrum, fol. 141.

175.

Littera domini legati quod pax oblata Templariis observetur.

1249. 1er Octobre. Petrus miseratione divina Albanensis episcopus, discretis et religiosis viris abbati de Dunis et gardiano fratrum minorum in Ypra salutem in Domino. Noverit vestra discretio, quod cum inter preceptorem et fratres militie templi in Flandria ex una parte, et prepositum et canonicos sancti Martini Yprensis ex altera, tam super corpore quondam Helye, tinctoris de Ypra, qui in cimiterio dictorum preceptoris et fratrum, sicut iidem Templarii asserebant, elegerat sepeliri, qui a dictis preposito et canonicis in eorum cimiterio, tanquam eorum parochianus, ut dicebant iidem prepositus et canonici, sepultus extiterat, et etiam super quibusdam articulis occasione sepulture dicti Helie emergentibus suborta fuisset materia questionis, tandem procuratores partium propter hoc in Romana curia constituti, habentes speciale mandatum ad compromittendum super questione prefata et omnibus antedictis, videlicet magister Johannes de Longa Valle, pro parte preceptoris et fratrum militie templi, et Jacobus de Warneston, pro parte prepositi et canonicorum predictorum, super predictis ac expensis, dampnis et injuriis a parte parti illatis, si que fuerint, et aliis quibuscumque occasione dicte sepulture emergentibus, in nos qui utramque partem diligimus, precise et pure compromiserunt tanquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem et amicabilem compositorem, ut predictas questiones possemus sive per nos sive etiam per mediatores a nobis deputandos arbitrabiliter seu amicabiliter terminare, sub pena sexaginta librarum parisiensium a parte resiliente ab ordinatione nostra parti observanti dictum seu arbitrium nostrum solvendarum. Cum autem de pace inter ipsos procuratores tractaremus, dictus procurator preceptoris et fratrum milicie templi proposuit coram nobis quod a vobis, et quibusdam scabinis de Ypra ex parte dictorum prepositi et canonicorum eisdem fuit oblatum, quod si possent probare per aliquos fide dignos simplici verbo sine juramento, quod dictus Helias dictam elegisset sepulturam, quod facerent corpus effodi et usque ad ecclesiam eorumdem Templariorum de Ypra deportari, et ibi illud ipsis preceptori et fratribus restituerent, hoc juris esse dictorum Templariorum publice confitendo; procuratore vero prepositi et canonicorum predictorum in contrarium asserente, quod dicti prepositus et canonici aliter per vos et dictos scabinos pacem seu concordiam super premissis ipsis Templariis obtulerunt, videlicet sub hac forma, quod si dicti Templarii probarent, prout superius est expressum, coram

preposito sancti Martini Yprensis dictum Heliam in cimiterio ipsorum preceptoris et fratrum suam sepulturam elegisse, tunc dictus prepositus et canonici hac vice pro bono pacis permitterent, quod ipsi Templarii dictum corpus facerent effodi et ad suum deportari cimiterium ibidem tumulandum, tali modo quod per hec bona pax et concordia haberetur inter ipsas partes de omnibus que oriuntur seu possunt oriri occasione sepulture predicte. Nos vero super predictis omnibus finem imponere voleutes, de assensu utriusque procuratoris, sub pena predicta super premissis taliter ordinamus, quod illa pax seu concordia observetur partibus prefatis, que per vos et dominos scabinos ipsis Templariis ex parte dictorum prepositi et canonicorum fuit oblata, de cujus tenore dicte partes dicto nostro et ipsorum scabinorum credere tenentur. Si vero per pacem predictam omnia supradicta non debuerunt esse sopita, et super aliquibus premissorum inter dictas partes controversiam aliquam oriri contingeret, de consensu dictorum procuratorum sub forma predicta hoc idem permittentium, penes nos retinuimus potestatem ordinandi inter ipsas partes de predictis. Inde est quod vobis mandamus, quatinus ad locum predictum infra natale Domini accedentes compositionem, pacem seu concordiam quam ipsis Templariis ex parte dictorum prepositi et canonicorum vos et dicti scabini obtulistis, publice recordemini inter partes vel etiam altera parte absente, dum tamen per vos fuerit legitime convocata, dictis partibus ex parte nostra firmiter injungendo, quod dictam pacem infra mensem post vestram recordationem sub pena predicta studeant observare. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum fecimus apponi. Datum Lugduni, anno Domini M°. CC°. XL°. nono, kal. octobris.

Registr. Rubrum, fol. 21.

176.

Littera super decimis olerum et fructuum terrarum parochie Yprensis.

Universis presentes litteras inspecturis scabini et communitas ville Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum controversia verteretur inter nos ex una parte, et viros religiosos prepositum et conventum beati Martini Iprensis ex altera, super decimis olerum et fructuum terrarum sitarum infra fines parochie Iprensis, tandem intervenientibus probis viris inter nos et ipsos super prefatis decimis, amicabilis compositio concorditer intercessit in hunc modum, quod de omnibus fructibus, qui nascentur in terris inferius annotatis, sive de oleribus sive aliis, cujuscumque generis fuerint, feno excepto, integre ipsis preposito et conventui decime persolventur, quocienscunque in anno culte fuerint dicte terre, videlicet de terris inferius exprimendis prout eas tenent ubi et a quibus homines infra scripti. Christianus Cabel tenet quatuor lineas terre ab ecclesia sancti Martini, jacentis supra viam de Formeseles. Johannes Metterte tenet duas mensuras et filia sua similiter duas, jacentes supra viam de Mesines. Lippinus de Gandis tenet unam mensuram de Pieterkino Bouc et duas

1249. Octobre.

de ecclesia sancti Martini, jacentes super viam de Mesines. Christiana Johannis Blas tenet unam mensuram terre jacentem supra viam de Mecines. Boidinus Bloume tenet de domino Matheo de Zelebeke unam mensuram et dimidiam, et ab ecclesia sancti Martini mensuram et dimidiam, jacentes supra viam de Mecines. Clais Craminc tenet ab ecclesia novem mensuras terre, quarum quatuor jacentes supra viam de Mecines et quinque supra viam de Formeseles. Alena, uxor Johannis Custodis, tenet sex mensuras ab ecclesia prefata jacentes supra viam de Formeseles. Willelmus Cardeman tenet de Gerardo de Scotis tres lineas et dimidiam jacentes supra viam de Mecines, et duas lineas ab ecclesia jacentes supra viam de Formeseles. Willelmus Cuckut tenet mensuram et dimidiam ab ecclesia jacentes supra viam de Formeseles. Maba de Zadelt tenet duas lineas ab ecclesia jacentes supra viam de Formeseles. Daniel Cardeman tenet ab ecclesia duas lineas jacentes juxta viam de Formeseles. Hermannus tenet ab ecclesia sex mensuras terre jacentes supra viam de Formeseles. Walterus de Gandis tenet unam mensuram a Christiano de Angulo, et de Lamkino de Wulverghem unam mensuram jacentem juxta viam de Formeseles. Joannes de Ponte tenet inter se et socium suum ab ecclesia tres mensuras terre, jacentes juxta viam de Formeseles. Bouderi de Zarren tenet ab ecclesia unam mensuram et dimidiam, jacentes juxta viam de Formeseles. W. de Dudzele tenet ab Adelelmo de Thoroud et a Christiano Bardonc tres mensuras et unam lineam, jacentes supra viam de Formezeles. Johannes de Prato tenet tres mensuras terre ab ecclesia, jacentes juxta viam que tendit de Formeseles ad Templarios, et juxta eamdem viam tenet tres mensuras et quartam partem a W°. de Moro. Johannes de Elverdinche tenet ab Adelelmo de Thoroud quatuor lineas jacentes ibi juxta, et tenet de ecclesia sex mensuras terre jacentes supra viam de Zadelt. Johannes Hubrecht tenet ab Agnete Ghevoet dimidiam lineam jacentem ibi juxta. W. de Dudzele tenet ab ecclesia quatuor mensuras terre, jacentes supra viam que tendit de Formeseles ad Templarios, et unam mensuram et dimidiam, jacentem retro ecclesiam sancti Michaelis supra Hoflant. Ghiselinus Veltre tenet undecim mensuras ab ecclesia jacentes ibi juxta. Cristina de Dudzele tenet ab ecclesia tres mensuras jacentes supra viam que tendit ad Templarios, et de Symone Lobbas tenet unam mensuram jacentem retro atrium sancti Michaelis. Lamkinus de Dudzele tenet unam mansuram a Simone Lobbas, jacentem retro ecclesiam sancti Michaelis. Smoutin tenet ab ecclesia duas mensuras supra viam que tendit a Templariis versus Formeseles, et unam mensuram et dimidiam jacentes supra Hupstal. Johannes de Baliolo tenet ab ecclesia tres mensuras et dimidiam, jacentes supra viam que tendit de Formeseles ad Templarios, et ab Hugheloto Broderlam dimidiam mensuram, supra quam manet. Lammoi tenet ab ecclesia tres mensuras jacentes supra viam de templo, et dimidiam mensuram a villa jacentem supra Upstal. Alcelmus Parcamentier tenet quartam partem unius mensure a villa jacentem supra Upstal. Boidinus de Gandis tenet a Johanne de Elverdinche dimidiam mensuram jacentem retro atrium sancti Michaelis et dimidiam mensuram ab Hugheloto Broderlam jacentem ibi juxta. Danekin Warmonsier tenet a Jordano

Vos unam lineam jacentem supra viam de Elverdinche. Sibers tenet a Johanne Bardonc duas mensuras, et a quadam muliere Lisa nomine dimidiam mensuram jacentes supra viam de Zinnebeke. Cappa tenet a Nicholao Mont unam lineam supra quam ipse Cappa manet. Meus Appelcuts tenet ab heredibus Terrici Medem duas lineas jacentes supra viam versus Thorout. Johannes Appelcuts tenet duas lineas ab heredibus Adelelmi filii Walteri et a relicta Andree Comitis, jacentes ibi juxta. Riquardus de Coekelare tenet a Johanne Bardounc unam mensuram jacentem supra viam de Zinnebeke. W. de Gandis tenet dimidiam mensuram ab Hakkerkino nomine jacentem juxta Hancwargstrate. Johannes Bursarius tenet unam mensuram a Johanne Bardonc jacentem supra viam de Zinnebeke. Trisa tenet dimidiam lineam a Cristiano Pottre jacentem retro domum ipsius Cristiani. Lambertus Vos tenet a Segardo de Agro et ab Adelelmo Decano unam mensuram jacentem extra Hancwargporte. Petrus de Ghertre tenet a Johanne Everard duas lineas, et unam mensuram et dimidiam a W°. Ghier, jacentes extra Hancwargportam. Johannes Bardonc tenet modo unam mensuram, quam tenuit Theodericus Bonte, jacentem supra viam de Zinnebeke. Theodericus Bonte tenet duas lineas a Boitac Callebier, et idem Boitac tenet eas a Salomone Morin et a filiis Arnulfi Belle jacentes supra viam de Posterne. Boidinus Carreman tenet unam mensuram et dimidiam ab Adelelmo Bardonc, jacentem extra portam de Comines. Hubrecht tenet a Johanne Portejoie unam mensuram et dimidiam jacentem supra stratam de Comines. W. de Wale tenet ab Agnete Ghevoet quatuor mensuras jacentes ibidem juxta supra bekam. Boidinus Bloeme tenet duas mensuras de terra Hugheloti Broderlam jacentes retro domum W'. Croeselin. De omnibus autem terris aliis sitis infra dictas parochias de uno fructu principaliori in anno sive olerum sive alterius generis cujuscunque decime ipsis preposito et conventui integre persolventur, et licet pluries in anno culte fuerint dicte terre, de secundis vel terciis fructibus et deinceps ejusdem anni aliqui ipsis preposito et conventui solvere decimas non compellentur, sed exhortationibus et monitis salubribus poterunt dicti prepositi et conventus eos inducere ad solvendum ipsis decimas de secundis et terciis fructibus memoratis, et si ad monitionem ipsorum prepositi et conventus eas solvere voluerint, non impedientur a nobis. De oleribus autem hortorum non venalibus sed ad proprium usum nostrorum burgensium cultorum decimas non exigent prepositus et conventus predicti. Alias etiam decimas, que nunquam consueverunt peti vel solvi ab nostris burgensibus, de cetero non exigent. Ut autem prefata compositio in singulis suis articulis perpetuam optineat firmitatem, tradidimus presentes litteras eisdem preposito et conventui sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno Domini M°. CC°. quadragesimo nono, mense octobri.

Registr. Rubrum, fol. 94.

Aux archives de la ville d'Ypres: lettres originales de même date et de même teneur, avec ornements en couleur, delivrées à la ville d'Ypres par le prevôt et le chapitre de Saint-Martin et munies de leurs sceaux avec contre-scels. Ces lettres sont transcrites dans le *Gelu·cenboek*, fol. 10, et analysées dans Diegerick, *Inventaire des chartes*, t. I, p. 65.

177.

Rescriptio ad litteram domini legati. Littera abbatis de Dunis et gardiani qui recordaverunt pacem.

1249. 25 Novemb. Reverendo patri ac domino P[etro], Dei gratia venerabili Albanensi episcopo, sacrosancte ecclesie Romane cardinali, frater N[icholaus], abbas de Dunis ordinis cisterciensis, et gardianus fratrum minorum Yprensium, salutem et orationes in Christo devotas. Reverende paternitati vestre significamus nos vestras patentes litteras recepisse inter alia continentes quod nos apud Ypram accederemus, et cum quibusdam scabinis Yprensibus recordaremur pacem seu concordiam oblatam per nos et dictos scabinos ex parte prepositi et canonicorum sancti Martini Yprensis preceptori et fratribus milicie templi in Flandria, super controversia suborta inter dictas partes occasione sepulture quondam Helie tinctoris de Ypra, prout in litteris vestris super hoc confectis plenius vidimus contineri. Nos vero et dicti scabini Yprenses, videlicet Johannes Bouderaven, Petrus Broederlam et Lambertus de Scotis, de communi consensu partium, feria quinta ante primam dominicam adventus Domini, apud Ypram in ecclesia beati Nicholai Yprensis comparavimus personaliter et, presentibus partibus, coram pluribus religiosis et secularibus ibidem astantibus in omnibus vestris mandatis humiliter et devote parere volentes et secundum mandatum vestrum nobis super hoc directum procedentes, prius diligenti tractatu et matura deliberatione habitis inter nos et quam plurimos religiosos, qui oblationi dicte pacis interfuerant, super dicta pace seu concordia oblata ex parte dictorum canonicorum Templariis supradictis unanimiter et concorditer dictam pacem seu concordiam recordati fuimus in hunc modum. Quod si preceptor predictus probaret per duos de fratribus suis vel alios fide dignos, quod dictus Helyas suam sepulturam elegisset in cimiterio dictorum preceptoris et fratrum, coram preposito sancti Martini Yprensis simplici verbo sine juramento, tunc dicti prepositus et canonici pro bono pacis permitterent quod dicti Templarii corpus dicti Helie facerent effodi et ad suum deportari cimiterium ibidem tumulandum, dum tamen per pacem istam omnia sopirentur, que orta sunt seu possint oriri occasione sepulture dicti Helie. Et injunximus dictis partibus ex parte vestra, sub pena in litteris vestris contenta, dictam pacem oblatam et per nos et dictos scabinos recordatam firmiter observare infra mensem post nostre recordationis publicationem. Datum et actum dicta feria quinta, anno Domini millesimo ducentesimo XL°. nono. In hujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra fecimus apponi.

Registr. Rubrum, fol. 20.

178.

Littera de concordia facienda per Wilhelmum, Tornacensem decanum, et prepositum Montensem, super controversia et lite habitis inter prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex una parte, et advocatum et scabinos ville Yprensis ex altera, de quodam ostio veteris chori ecclesie beati Martini destructo.

Universis presentes litteras inspecturis advocatus, scabini Yprenses, et parochiani sancti Martini Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum controversie verterentur inter nos ex parte una, et viros religiosos prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex altera, super hiis que ipsi petebant a nobis, videlicet ostium veteris chori ecclesie beati Martini Yprensis destructum refici et reparari secundum formam et statum in quo fuit, et ostia ejusdem chori reportari, que nos asportari feceramus, ut dicebant, et super eo quod conquerebantur de obstructura dicti ostii amota, et super eo quod conquerebantur etiam quod nos scabini ingerimus nos testamentis et procuramus quod per nos ordinentur, ut dicebant, et super eo quod conquerebantur quod nos scabini contra conventionem inter nos et ipsos habitam exigimus tallias et exactiones a terris suis infra scabinatum nostrum Yprensem jacentibus, ut dicebant, et super eo quod conquerebantur ratione electionis kerchmagistrorum, nisi hoc fuerit alias per arbitros determinatum, et etiam super hiis que nos petebamus ab eis, videlicet quod permitteremur habere liberum ingressum et aditum usque ad novum chorum dicte ecclesie in veteri choro et cruce ecclesie, quantum dicta crux protenditur, et quod permitteremur ibidem esse pacifice ad orandum et ad audiendum divina, et super eo quod petebamus veterem clausuram et ostium inter veterem chorum et navem ecclesie penitus amoveri, et super eo etiam quod petebamus inter dictum veterem chorum et crucem ecclesie et novum chorum et novum opus ecclesie clausuram fieri, que divideret canonicos a parochianis, super eo insuper quod petebamus tertiam partem expensarum quas fecimus impetrando indulgentiam a domino papa, quod villa Yprensis non posset supponi interdicto, nisi pro proprio delicto burgensium, tandem intervenientibus probis viris pro bono pacis super omnibus dictis controversiis, nos ex parte una, et dicti prepositus et capitulum ex altera, compromisimus in viros venerabiles W[ilhelmum], decanum Tornacensem electum ex parte prepositi et capituli predictorum et N. prepositum Montensem, electum ex parte nostra, ita quod si dicti duo arbitri discordes fuerint, elegimus communiter illustrem dominam Flandrie et Haynonie comitissam loco tercii coarbitri, promittentes juramentis interpositis utrimque et sub pena ducentarum marcharum Flandrensium parti observanti dictum prefatorum arbitrorum trium vel duorum ex ipsis a parte resiliente ab eorum dicto reddendarum nos inviolabiter observaturos quicquid dicti tres arbitri vel duo ex ipsis super premissis omnibus arbitrando pronunciaverint. Ubi autem predicti duo arbitri, videlicet decanus et prepositus, concordes fuerint in processum dictarum controversiarum, valebit

1251. Avril.

processus eorum, dicta domina comitissa ad hoc minime vocata, presente vel consulta. Sententiam autem arbitralem proferre non poterunt, dicta domina inconsulta. Debent etiam dicti arbitri vel duo eorum, ut dictum est, simul et eadem die super omnibus dictis controversiis arbitrium suum proferre, alioquin arbitrium ipsorum non valeret. Poterunt autem dicti arbitri predictam penam pecuniariam diminuere vel mutare in omnibus et singulis dictis articulis secundum quod viderint expedire. In cujus rei testimonium litteras presentes predictis preposito et capitulo sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense aprili.

Registr. Nigrum, fol. 55.

Annales de la Société d'émulation de Bruges, 2e série, t. III, p. 106. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 364.

179.

Littera domini de Reningels de decem caponibus nobis datis, quos habebat in decima Walteri dicti Bartierre in Reningels.

1251. Juillet. Universis presentes litteras inspecturis Johannes miles, dominus de Rininghels, salutem in Domino. Noverint universi, quod nos ob remedium anime nostre ac predecessorum nostorum decem capones, quos habebamus de decima Walteri dicti Bartere in parochia de Rininghels, ecclesie beati Martini Yprensis libere et pacifice in puram elemosynam in perpetuum contulimus possidendam. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillo nostro fecimus roborari. Datum et actum anno Domini M°. CC°. L°. primo, mense julio.

Registr. Rubrum, fol. 70.

180.

De decima sita in Reningels a nobis empta a Waltero le Bartierre.

1251. Juillet. Universis presentes litteras inspecturis Johannes miles, dominus de Riningels, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Walterus dictus Bartere et heres suus legitimus in nostra propter hoc et hominum nostrorum presentia constituti vendiderunt, werpiverunt et defestucaverunt, secundum legem patrie, ecclesie beati Martini Yprensis decimam suam jacentem Bezuderbeke infra parochiam de Riningels, in personatu ecclesie memorate, pro precio centum et quinquaginta librarum Artisiensium, quam pecuniam ipsam numeratam et solutam esse coram nobis confessi sunt et coram hominibus nostris prefatis, renuntiantes exceptioni non numerate seu solute sibi pecunie. Cui venditioni heredes etiam ipsius Walteri coram nobis et hominibus nostris propter hoc constituti manus nostras, ut assolet, apponentes suum adhibuere consensum, promittentes tam ipse Walterus quam heredes sui, fide et juramento prestitis, contra

dictam venditionem nunquam de cetero se venturos, et quod nichil juris penitus nec per se nec per alium unquam in dicta decima reclamabunt. Renuntiaverunt etiam tam ipsi heredes quam ipse Walterus beneficio restitutionis in integrum et omni juris auxilio canonici vel civilis, per quod dicta venditio possit robur amittere firmitatis. Insuper nos dominus de Rininghels miles, a quo dictus Walterus dictam decimam tenebat in feudum, hujusmodi venditioni assensum benivolum adhibentes ab honere servitii seu prestationis cujuslibet dictam decimam penitus liberavimus et quitam clamamus ecclesie prelibate ab eadem in perpetuum libere et pacifice possidendam. Insuper predicti homines nostri quorum nomina hec sunt, videlicet Nicholaus Utendale, Walterus canonicus, Balduinus de Scarpenbergh, Clais Been, Lambertus Hadelard, Eustacius de Colle, Willelmus de Bodeme, Henricus Vinc et Ivanus, filius domini Danielis, super omnibus et singulis premissis requisiti a nobis, recognitionem suam interposuerunt, eadem omnia et singula facta esse legitima decernentes. Nomina autem illorum qui premissis omnibus et singulis interfuerunt sunt hec, videlicet Balduinus prepositus, Robertus decanus, Thomas Brune, Jacobus de Brugis, Lambertus Kervelinc, Arnulphus, Gerardus et alii quamplures presbyteri et canonici sancti Martini Yprensis necnon et alii clerici et laici. In cujus rei testimonium presentes litteras ad petitionem dictorum Walteri et heredum suorum ecclesie beati Martini Yprensis predicte tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo primo, mense julio.

Registr. Rubrum, fol. 71.

181.

Littera recognitionis premissorum.

Universis presentes litteras inspecturis officialis [curie] Morinensis vacantis salutem in Domino. Notum facimus quod in presentia nostra constituti Walterus Barthere, parochianus de Rininghels, et Joannes clericus, filius ejus primogenitus, recognoverunt, videlicet dictus Walterus se vendidisse bene et legitime pro legitimo et justo precio sibi ad plenum persoluto decimam suam sitam in dicta parochia, quam tenebat a domino Johanne de Rininghels milite in feudum, ejusque accedente consensu, ecclesie beati Martini Yprensis, in cujus personatu sita est decima memorata, et dictus Johannes libere et absolute se dicte venditioni adhibuisse consensum, et adhuc coram nobis spontaneus liberum et benevolum adhibuit assensum, recognocens venditionem dicte decime rite secundum quod juris est et moris esse celebratam, deliberando dicti Walterus et Johannes eandem decimam prefate ecclesie jure proprio perpetuo possidendam, renuntiantes omni juri quod habebant et habuerant, et quod habebat vel habere poterat dictus Johannes in prefata decima in futurum quacumque ex causa, et spontanea voluntate ipsi Walterus et Johannes in manu nostra eandem decimam posuerunt cum jure et resignaverunt ad opus ecclesie memorate. Et nos ipsam ecclesiam, de eadem

1252. Août.

decima prout jus exigit, investivimus de decima sepedicta. Renuntiaverunt insuper predicti Walterus et Johannes exceptioni non numerate pecunie, doli mali et omni juris auxilio canonici vel civilis et cuicunque auxilio, beneficio et exceptioni speciali et que specialem exigit renuntiationem, promittentes, fide et juramento prestitis corporaliter, quod contra hujusmodi venditionem, resignationem, assensum et consensum adhibentes et sub pena excommunicationis in ipsos ferende, per se vel per alios non venient in futurum, et quod de cetero ipsam ecclesiam molestabunt nullatenus, nec molestari procurabunt nec reclamabunt aliquid juris in decima antedicta. In hujus rei testimonium et ad preces Walteri et Johannis predictorum presentes litteras ad opus ecclesie prelibate sigillo curie Morinensis fecimus sigillari, ne premissa robur possint amittere firmitatis. Predicti vero Walterus et Johannes spontanea voluntate se jurisdictioni curie Morinensis predicte subposuerunt quoad observandum premissa. Datum et actum anno Domini M°. CC°. L°. secundo, mense augusto.

Registr. Rubrum, fol. 72.

182.

De venditione septem mensurarum terre et xlv. virgis.

1253. Septembre. Universis presentes litteras inspecturis Margareta, abbatissa de Busco, et conventus ejusdem loci salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos bene et legitime vendidimus ecclesie beati Martini Yprensis septem mensuras terre et quadraginta quinque virgas jacentes juxta terram ipsius ecclesie de Pudshelst, pro octoginta libris parisiensibus et xix. denariis, quam pecunie summam abbatissa et conventus predicti nobis plenius esse persolutam recognoscimus ab ecclesia prelibata, et renuntiamus exceptioni non numerate pecunie seu solute. Renuntiamus etiam omni exceptioni et omni juris auxilio canonici vel civilis, per que dicta venditio possit robur amittere firmitatis. Promittimus etiam, fide et juramento prestitis, quod nec per nos nec per alium aliquem in mundo contra dictam venditionem veniemus vel venire faciemus. Et volumus quod innotescat universis pecuniam, quam de terra predicta recepimus, in usus ecclesie nostre necessarios et fructuosos esse conversam. Ut hec omnia et singula firma et inconcussa permaneant, nos abbatissa et conventus predicti ad opus ecclesie prelibate presentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, mense septembri.

Registr. Rubrum, fol. 32, et *Registr. Novum*, fol. 50.

183.

Quod conventus de Busco tenebatur dare litteras episcopi super premissis.

Universis presentes litteras inspecturis M[argareta], abbatissa de Busco, et conventus ejusdem loci salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos tenemur recognoscere venditionem quam fecimus ecclesie beati Martini Yprensis, sicut in litteris nostris super hoc confectis plenius est expressum, coram reverendo patre ac domino R[adulpho], Dei gratia venerabili Morinensi episcopo, et instare ut dicta venditio ad opus ecclesie prelibate sigillo et litteris ejusdem venerabilis Morinensis episcopi roboretur, prout decet. Datum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo tertio, mense septembri. 1253. Septembre.

Registr. Rubrum, fol. 33.

184.

De collatione et regimine scolarum et rectore; de kerkemagistris et de custodibus.

Universis presentes litteras inspecturis advocatus, scabini totaque communitas ville Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod super discordia que vertebatur inter nos ex una parte, et viros religiosos prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex altera, super collatione et regimine scolarum Iprensium et rebus aliis, intervenientibus probis viris, pro bono pacis de consensu nostro et dictorum prepositi et capituli concorditer est ordinatum, quod tres scole majores erunt in villa de cetero Yprensi, quarum collatio ad dictos prepositum et capitulum libere spectabit, et conferent easdem personis talibus, que eas in propriis personis singule singulas gubernabunt. Pro pactis autem rectores dictarum scolarum non poterunt exigere aliquid ab aliquo scolarium suorum ultra summam decem solidorum, qua summa contenti erunt, nec poterunt pro minutione (1) nec pro stramine nec pro joncis nec pro gallis nec aliqua alia de causa ultra dictam summam aliquid exigere, nec de pane puerorum poterunt accipere nec tallias in predictis scolis facere. Quicunque vero burgensis liberos suos seu alios de familia sua manentes in domo propria per clericum suum in domo sua erudiri voluerit, hoc ei licebit, dummodo alios discipulos sub isto pretextu una cum predictis ipsi clerico non liceat erudire. Parve autem scole, in quibus discipuli poterunt erudiri usque ad Catonem, regi poterunt a quibuscunque regere volentibus in villa Iprensi, non petita vel optenta licentia a nobis nec a dicto preposito et capitulo Yprensi. Rectores 1253. 6 Novemb.

(1) Gheldolf: *munitione*, d'après une pièce originale, qui est aux archives d'Ypres.

autem dictarum scolarum, quamdiu scolas regent, litigare non poterunt pro nobis contra dictos prepositum et capitulum, nec pro ipsis contra nos. — Consensimus autem quod per ordinationem predictam, que pro bono pacis facta est bona fide, privilegio dictis preposito et capitulo quoad regimen scolarum infra castrum Iprense indulto nullatenus derogetur, excepto eo, quod parve scole regi poterunt sine eorum licentia et nostra, prout superius est expressum. — Preterea de cereis, qui vulgariter dicuntur stalligte, qui cum corporibus mortuorum deferuntur ad ecclesias in parochiis Yprensibus, nullum exigere poterunt, nec in eis aliquod jus sibi vendicare, sed si eis gratis offerantur, eos licite poterunt recipere. Kerkemagistros vero in singulis dictarum parochiarum eligent advocatus et parochiani, et electos debent presbyteris parochialibus nominare. Custodes autem dictarum parochiarum cavere debent ydonee, quod, si per incuriam vel negligentiam eorum ornamenta ecclesiarum amitterentur, dampna hujusmodi ecclesiis plenarie resarcirent. Et promisimus, juramento a nobis sollempniter interposito, quod contra predicta omnia et singula per nos vel per alios, quantum in nobis est, scienter nullatenus veniemus, et si intelligere possemus, quod aliquis contra dictam ordinationem circa predicta maliciose versaretur, nos maliciam hujusmodi, quantum in nobis est, amoveremus. Ut autem predicta omnia et singula in perpetuum robur optineant firmitatis, presentes litteras tradidimus prefatis preposito et capitulo sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno Domini M°. ducentesimo quinquagesimo tertio, feria quinta post festum omnium sanctorum.

Registr. Rubrum, fol. 95.

Des lettres de même teneur furent délivrées à la ville d'Ypres par le prévôt et le chapitre de Saint-Martin. Si nous en jugeons d'après la transcription de Gheldolf, elles renferment une phrase de moins (celle que nous avons mise entre tirets). On les trouvera comme suit:

Aux archives de la ville d'Ypres: original portant le sceau du prévôt de Saint-Martin et celui du chapitre, avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 26.

Stallaert et Van der Haegen: *L'instruction publique au moyen-âge*, memoire couronné par l'Académie de Belgique en 1850. — Warnkönig, *Flandrische Staats und Rechts-Geschichte*, t. I, 1re partie, *Urkunden*, p. 171. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V. p. 369. — Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 74 (analyse). — Alph. Vandenpeereboom, *Yprizna*, t. II, p. 288 (analyse).

Sur le régime des écoles à Ypres, voir une bulle d'Innocent IV, du 9 février 1253, analysée dans Diegerick, *ouvr. c.* p. 73, et reproduite par Stallaert et Van der Haegen, *ouvr. c.* — Cf. Warnkönig, *Histoire de la Flandre*, t. II, p. 378. — Alph. Vandenpeereboom, *Yprizna*, t. II, p. 285 et suiv.

185.

Littera domine comitisse, quod ipsa ratam habet venditionem iiij^{xx}. mensurarum terre jacentium in Reninges nobis factam a domino Johanne de Reninges.

1253. 25 Novemb. Nos Margareta, Flandrie et Haynonie comitissa, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod cum nos dilecto nostro et fideli domino

Johanni de Reninghes concesserimus, quod vendere posset cuicumque persone vellet, scilicet ecclesiastice vel seculari quater viginti mensuras terre jacentis in broco de Renenghes, quam de nobis tenebat in feodum, et pro venditione et guerpitione et etiam introitu et investitione dictarum quater viginti mensurarum terre faciendis ad legem ballivum nostrum Furnensem posuerimus loco nostri, universitatem vestram scire volumus, quod nos venditiouem duodecim mensurarum terre, quam dictus dominus Johannes fecit ecclesie sancti Martini Yprensis ultra quater viginti mensuras terre predictas ad legem, ratam et gratam habemus presentium testimonio litterarum. Datum Insulis, anno Domini M°. CC°. L°. tercio, sabbato ante festum sancti Clementis.

Registr. Rubrum, fol. 69.

186.

Littera ejusdem domini Johannis et ejus uxoris de venditione xlviij. mensurarum in Reninge.

Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Ypra, miles, dominus de Rininghes, et Mathildis ejus uxor, castellana sancti Audomari, salutem in Domino sempiternam. Universitati vestre significamus, quod cum essemus gravibus et usurariis debitis obligati, nos relevari ab hujusmodi debitorum honere cupientes, necessitatis intuitu tam urgentis optinuimus ab illustri domiua nostra Flandrie et Haynonie comitissa, quod vendere possemus cuicunque persone vellemus, scilicet ecclesiastice vel seculari, terram nostram jacentem in broco de Rininghes ultra Ysaram, in parochia de Polinchove, quam ab eadem domina nostra in feudum tenebamus; quam terram positam a nobis in manu ejusdem domine nostre ipsam terram hujusmodi liberam fecit, absolvens ac quitam clamans eandem ab onere feudali, jugo donationis et conditione qualibet onerosa. Insuper pro venditione, guerpitione, introitu ac investitione dicte terre faciendis ad legem, dicta domina nostra ballivum suum Furnensem posuit loco sui. Nos igitur terram predictam, videlicet quadraginta octo mensuras paulo plus vel minus pro precio quingentarum et octoginta octo librarum et decem solidis vendidimus preposito et conventui ecclesie beati Martini Yprensis, quam pecuniam nobis numeratam et solutam esse ab ipsis necnon in necessitatem nostram conversam tenore presentium confitemur, et ipsos in possessione ejusdem terre induximus, et guerpitionem, introitum et investitionem de eadem terra fecimus et procuravimus fieri preposito et conventui memoratis, ex habundanti etiam filio nostro Johanne majore natu suum assensum hiis omnibus adhibente. Que omnia fecimus ad legem, coram ballivo Furnensi vice domine comitisse, ut dictum est, suam auctoritatem hiis omnibus impertiente, necnon scabinis Furnensibus forensibus, ad requisitionem seu submonitionem ejusdem ballivi suam cognitionem super hiis interponentibus, ac decernentibus premissa omnia et singula rite ac legitime facta esse. Preterea cavimus preposito et conventui de evictione, renuntiantes

1253. Novembre.

nomine nostro ac heredum seu successorum nostrorum non numerate et non solute pecunie exceptioni, beneficio restitutionis in integrum et omni juris auxilio canonici vel civilis, per quod dicta venditio possit robur amittere firmitatis. Ad hoc promisimus nomine nostro et heredum seu successorum nostrorum, fide ac juramento corporaliter a nobis interpositis, predicta omnia et singula inviolabiliter observare, nec contra ea quocunque tempore aliqua arte seu machinatione venire, heredes seu successores nostros eadem obligatione per omnia honerantes, qua nosmetipsos oneravimus in premissis. Insuper ego Mathildis, ad majorem hujus rei securitatem, renuntiavi specialiter in hac parte privilegio dotis seu dotalicii, nullo metu, nulla coactione vel vi ad hec inducta, sed mea spontanea voluntate, necnon juravi corporaliter, quod pretextu privilegii hujusmodi vel cujuscunque alterius contra premissa nequaquam de cetero attemptabo. Promisimus etiam omnia que ad roborationem et confirmationem premissorum valere poterunt, fideliter adimplere. In cujus rei testimonium presentes litteras nostras, ad observantiam et memoriam perpetuam, preposito et conventui supradictis sigillorum nostrorum munimine tradidimus roboratas. Actum anno Domini M°. CC°. L°. tercio, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 69.

187.

Privilegium pape contra visitatores, scilicet ne ultra quatuor marchas expendant vel recipiant.

1254. 28 Février. Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad memoriam et observantiam perpetuam. Contra gravamina, que in procurationibus ratione visitationis debitis inferebantur subditis a prelatis, providerunt salubriter canonica instituta circa evectionum et personarum multitudinem, epularum immoderantiam aliasque superfluitates, statuendo modestiam debitam observari, ut nec in exigendo nimium prelati excederent, nec in exhibendo superflue subditi gravarentur, fieretque visitatio ad salutem animique leticiam et non ad afflictionem et tedium subditorum. Verum quia non nulle adhuc de hujusmodi procurationibus querimonie audiuntur, nos volentes pastorali sollicitudine providere taliter in hac parte, quod tollatur omnino gravandi occasio, et cesset prorsus materia murmurandi, apostolica auctoritate statuimus, ut archiepiscopis et episcopis, archydiaconis aliisque prelatis personaliter visitantibus, ab ecclesiis et locis visitatis exhibeantur procurationes in victualibus et aliis necessariis moderate, ita quod hec secundum communem rerum existimationem singulorum locorum vel sumptuum qui pro hiis fient, summam seu valentiam quatuor marcharum argenti in nulla procuratione transcendant, proviso tamen quod secundum majorem vel minorem evectionum et personarum numerum, pro majoritate vel minoritate prelatorum in consilio Lateranensi taxatum, fiant usque ad summam ipsam vel infra hujusmodi procurationum expense; sed in locis in quibus major fertilitas vel

copia rerum habetur, et ubi minores sunt redditus seu ecclesiastice facultates, minus secundum ampliorem necessariorum ubertatem et parvitatem proventuum in ipsis procurationibus expendatur. Si autem amplius in hujusmodi procurationibus fuerit expensum, prelati eas recipientes restituere in utilitatem ecclesiarum a quibus ipsas receperint, et illi qui eas exhibuerint, erogare de suo proprio pauperibus duplum ejus quod taliter ultra expensum extiterit, compellantur, alia nichilominus pena mulctandi, si visum fuerit expedire, ceteris nichilominus que pro hujusmodi visitationibus et procurationibus generaliter statuta esse noscuntur, manentibus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II°. kal. martii, pontificatus nostri anno undecimo.

Registr. Rubrum, fol. 142.

188.

Littera officialis Morinensis super dote non petenda ab uxore domini de Reninges.

Universis presentes litteras inspecturis magister J[ohannes] de Lauduno, cano- 1254.
nicus et officialis Morinensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra propter Juin.
hec presentia constituta nobilis mulier domina Mathildis, castellana sancti Audomari, uxor domini Johannis de Rininghes, recognovit se et dictum Johannem, maritum suum, vendidisse bene et legitime pro justo et legali precio sibi ad plenum persoluto quadraginta et octo mensuras terre, paulo plus paulo minus, jacentis in broco de Rininghes ultra Ysaram in parochia de Polinchove, ecclesie beati Martini Yprensis, jure proprio ab ipsa ecclesia perpetuo tenendas et possidendas, et quod ipsam terram contra quoscunque tenentur perpetuo garandizare, promittendo nomine suo suorumque heredum quod contra hujusmodi venditionem non venient aliquatenus in futurum, nec ipsam ecclesiam super dicta terra vel ejus occasione de cetero per se vel per alios molestabunt, sed permittent ipsam ecclesiam fructus perpetuo percipere ex eadem; ad hec prefata castellana, fide et juramento interpositis, renuntiavit expresse omni juri quod habebat vel habere poterat vel debebat in futurum in prefata terra, ratione dotis seu dotalicii aut ex alia quacunque causa, promittens sub dictis fide et juramento, quod in eadem terra nichil de cetero reclamabit ex aliqua causa vel occasione; renuntiantes expresse omni juris auxilio canonici vel civilis, exceptioni non numerate pecunie seu solute, doli mali omnibusque gratiis et indulgentiis, privilegiis et rescriptis impetratis vel impetrandis, supponentes se jurisdictioni curie Morinensis super omnibus et singulis premissis fideliter observandis et implendis. Et nos in premissorum testimonium litteras ad opus ecclesie beati Martini Yprensis supradicte et ad instantiam partium sigillo curie fecimus roborari. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quarto, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 69, et *Registr. Novum*, fol. 9.

189.

Reportatio decime de Rinighels in manu domine comitisse ad opus ecclesie nostre.

1255. 31 Mai. Nobili matrone illustri domine sue M[argarete], comitisse Flandrie, B[alduinus], castellanus de Lens, salutem et ad ejus servitium semper esse paratum. Nobilitati vestre tenore presentium significo, quod decimam de Rininghels, quam Johannes de Ghistella miles, dominus de Formosella, et ejus uxor usque nunc de me tenuerunt in feodum et ego de vobis, in manus vestras reporto ad opus ecclesie beati Martini Yprensis et dicte ecclesie conferendam, quitum clamans omne jus seu dominium quod in predicta decima habebam vel habere poteram, vel heres meus. Testimonium presentium litterarum sigillo meo munitarum. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quinto, feria II^a^. post dominicam qua cantatur *Factus est Dominus*.

Registr. Rubrum, fol. 75.

190.

De venditione decime cujusdam in Reningels nobis facta a domino Johanne de Ghistella et ejus uxore et de dotis renuntiatione.

1255. Juin. Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Ghistella miles, dominus de Formosellis, et Ysabella, ejus uxor, salutem. Noverit universitas vestra, quod nos pro evidenti necessitate nostra decimam nostram, quam habebamus in parochia de Rininghels, vendidimus et guerpivimus bene et legitime coram domino nostro viro nobili domino Balduino de castello Lensensi, presentibus hominibus ipsius castellani, paribus nostris, ad predictam propter hoc evocatis, dilectis nostris preposito et conventui sancti Martini Yprensis pro certo precio, de quo nos tenemus penitus pro pagatis; quam decimam tenebamus in feodum de castellano predicto, et quam idem castellanus tenebat ab illustri domina nostra Margareta, Flandrie comitissa. Promisimus etiam, fide et juramento corporaliter prestitis, quod contra venditionem et guerpitionem dicte decime nunquam de cetero per nos vel alium veniemus, nec artem vel ingenium queremus, per quam vel per quod dicti prepositus et conventus occasione dicte decime in aliquo molestentur, renuntiantes expresse tam pro nobis quam pro nostris heredibus omni juri quod in dicta decima habebamus vel habere poteramus canonico et civili, omnique privilegio optento a nobis vel dictis nostris heredibus seu etiam optinendo. Ego etiam Ysabella predicta renuntio expresse omni assignamento et omni juri, quod ratione dotis vel dotalicii in dicta decima tam in foro ecclesiastico quam civili possem per me vel per alium de cetero reclamare, omnique indulgentie, gratie vel litteris a quacunque persona mihi factis, impetratis et etiam impetrandis. Predictam autem venditionem et guerpitionem

a Waltero, nostro primogenito, laudari et approbari facere promittimus ad legem, nosque et nostros heredes seu successores quoscunque ad predicta firmiter in perpetuum observanda inviolabiliter obligamus, supplicantes domine nostre Margarete, Flandrie comitisse illustri, quod cum domino nostro Balduino, castellano Lensensi, venditionem et guerpitionem dicte decime laudet et approbet, et easdem per suas litteras tanquam domina terre superior confirmare dignetur. In cujus rei testimonium et munimen preposito et conventui sancti Martini Yprensis presentes litteras tradidimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quinto, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 75, et *Registr. Nigrum*, fol. 68.

191.

Recognitio ejusdem venditionis coram castellano de Lens et hominibus suis.

Universis presentes litteras inspecturis Balduinus, castellanus de Lens, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Johannes de Ghistella miles, dominus de Formosellis, et Ysabella, ejus uxor, per advocatum sibi ad hoc datum per legem patrie coram me et hominibus meis ad hoc convocatis decimam suam de Reninghels, quam idem Johannes et ejus uxor a me tenebant in feodum, quam decimam ego teneo in feodum ab illustri domina mea Margareta, comitissa Flandrie, in manus meas ad opus ecclesie beati Martini Yprensis reportarunt et effestucaverunt et werpiverunt spontanee, tam ipse Johannes quam ejus uxor et ejus advocatus sibi propter hoc datus et concessus, dictam decimam et jus includendi, quod in dicta decima habebant, et omne jus quod in dicta decima sibi vendicare poterant, prefatis preposito et conventui beati Martini Yprensis quitaverunt, et concesserunt in perpetuum pacifice et quiete possidendam. Promiserunt etiam, fide et juramento corporaliter prestitis, Johannes de Ghistella et ejus uxor, quod filium suum primogenitum heredem suum ad hoc faciendum perducent, et quod ipsi nec artem nec ingenium querent per quam vel per quod reportationi, guerpitioni et quitationi contravenirent vel contravenire possent memoratis. Quibus ut dictum est actis, ego castellanus de Lens, in presentia dictorum hominum meorum ad opus dicte ecclesie dictam decimam in manus illustris domine mee Margarete, Flandrie comitisse, reportavi libere et absolute, quitans una cum filio meo primogenito et herede Johanne nomine, fide et juramento corporaliter prestitis, omne jus et omne dominium quod ego et progenitores mei hucusque habuimus vel habere potuimus in decima prenotata. Ego insuper de dicta decima, prout dictum est, in manus meas reportata dominum Arnulphum, canonicum ecclesie beati Martini Yprensis, nomine ejusdem ecclesie investivi et in corporalem possessionem ejusdem decime posui et induxi, ipsam decimam ab omni jure feodali et ab omni dominio absolvens. Ego etiam, predicta omnia confiteor esse vera, obligans me et successores meos ad tenendum premissa tanquam dominus, presentium testi-

1255. Juin.

monio litterarum. Ad quorum etiam observantiam et majorem hujus rei firmitatem Johannes, filius et heres meus predictus, in mea et in hominum meorum presentia constitutus, fide et juramento interpositis, se astrinxit. In cujus rei testimonium presentes litteras dicte ecclesie tradidimus mei et ejusdem filii mei sigillorum munimine roboratas. Actum mense junio, anno Domini M°. CC°. quinquagesimo quinto.

Registr. Rubrum, fol. 75, et *Registrum Nigrum*, fol. 68.

192.

Littera confirmationis domine comitisse super dicta decima.

1255. Juin. Margareta, Flandrie comitissa, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra nos litteras Balduini castellani de Lens et Johannis filii primogeniti et heredis sui vidisse in hec verba : « Universis presentes litteras inspecturis Balduinus castellanus de Lens salutem in Domino. (*Suit le texte de la charte précédente.*) » Nos autem predictam decimam ab omni jure et dominio feodali in perpetuum absolventes, predicta omnia et singula approbamus et eadem sigilli nostri munimine tanquam terre domina confirmamus. In cujus rei testimonium et munimen dictis preposito et conventui presentes litteras tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quinto, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 76, et *Registr. Nigrum*, fol. 67.

193.

Littera per modum vidimus sub sigillo Radulfi, Morinensis episcopi, mentionem faciens de decima jacente in Reineghelst, ecclesie sancti Martini data per Johannem de Ghistella militem et ejusdem uxorem.

1255. Août. Radulphus, miseratione divina Morinensis episcopus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos litteras illustris domine comitisse Flandrie, castellani de Lens, Johannis filii primogeniti et heredis predicti castellani, Johannis de Ghistella et Ysabelle ejus uxoris vidisse sub hac forma. « Margareta Flandrie comitissa (*le reste comme ci-dessus, n°* 192). » « Universis presentes litteras inspecturis Balduinus, castellanus de Lens (*ci-dessus, n°* 191). » « Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Ghistella miles, dominus de Formeselles et Yzabella ejus uxor (*ci-dessus, n°* 190). » Nos autem predicta omnia et singula ad supplicationem premissorum approbantes eadem omnia et singula pontificali auctoritate confirmamus. In cujus rei testimonium predictis preposito et conventui presentes litteras sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quinto, mense augusto.

Registr. Nigrum, fol. 67.

194.

De v. mensuris prati jacentis juxta curtem de Zantvorde.

Universis presentes litteras inspecturis Jacobus, prepositus Formosellensis, et magister J. decanus christianitatis Yprensis, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod Walterus, filius et heres Michaelis de Herentaghe militis, in nostra presentia constitutus, quitavit spontanea voluntate secundum legem patrie quinque mensuras prati jacentis apud Zantforde juxta curtem ecclesie beati Martini Yprensis, quod pratum predictus Michael vendidit bene et legitime secundum legem patrie ecclesie prelibate, pro certo precio predicto Michaeli ad plenum persoluto. Dictus etiam Walterus renuntiavit expresse omni juri, quod habebat vel habere poterat in prato predicto, canonico vel civili. Promisit etiam predictus Walterus, fide et juramento corporaliter prestitis, quod nunquam de cetero contra dictam quitationem veniet per se vel per alium, et quod nec artem nec ingenium queret vel querere faciet, per quam vel per quod dicta ecclesia imposterum valeat molestari occasione prati supradicti. Et si contingeret, quod absit, ecclesiam in aliquo molestari occasione premissorum, sepedictus Walterus teneretur predictam ecclesiam conservare indempnem super omnibus et singulis premissis. Et ut predicta omnia et singula robur obtineant firmitatis, nos ad petitionem predicti Walteri presentes litteras ecclesie prelibate in testimonium et munimen sigillorum nostrorum munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo quinto, mense septembri. 1255. Septembre.

Registr. Rubrum, fol. 41.

195.

Littera castellani de Lens, quod Balduinum de Beka posuit loco sui ad creantandam venditionem decime de Rininghelst.

Jou Baudouins, castellains de Lens, à tous mes hommes de Menin, salus. Je vous fache à savoir ke je mech Boidin de le Beke, men homme, chevalier, en men liu de creanter le vendage ke me sire Jehans de Ghistele chevaliers et me dame sa fame ont fait à le glise saint Martin d'Ipre de le disme le quele il tenoient de mi, et l'en doins plain pooir del creanter ausi ke je meismes i estoie. 1255. Octobre.

Registr. Rubrum, fol. 77, et *Registr. Nigrum*, fol. 77 (en vidimus).

Comte de Limburg Stirum, *Le chambellan de Flandre*, pièces justificatives, n° 30. On trouvera dans cet ouvrage le texte exact du *Registrum Nigrum*. Nous donnons celui du *Registrum Rubrum*, qui en diffère sensiblement par l'orthographe.

196.

[Creantatio ejusdem decime per Balduinum de Beka.]

1255. 22 Octobre. Universis presentes litteras inspecturis, Balduinus de Becka miles salutem. Noverit universitas vestra, quod ego loco nobilis Balduini, castellani de Lens, per litteras ipsius castellani patentes convocavi homines predicti castellani, quorum nomina inferius exprimentur, ad videndum secundum legem patrie guerpitionem, effestucationem et quitationem quam vel quas nobilis vir dominus Johannes de Ghistella miles, dominus de Formiselles, et Yzabella, ejus uxor, necnon et Walterus, primogenitus eorum et heres, facere debebant secundum legem patrie preposito et conventui beati Martini Yprensis de decima de Reininghelst. Predicti vero Johannes, Ysabella, uxor sua, et Walterus, primogenitus eorundem et heres, sufficienter secundum legem patrie coram me et predictis hominibus comparuerunt, et predictas guerpitionem, effestucationem et quitationem predicte decime de Reninghelst, quam vendiderant predictis viris religiosis preposito et conventui beati Martini Yprensis, fecerunt bene et legitime. Nomina autem hominum predictorum sunt hec: videlicet ego Balduinus qui loquor, Renaldus de Lowe, Balduinus de Locre, Johannes de Hulle, Oliverius de Hove, et Johannes Ledman et alii quam plures. In cujus rei testimonium preposito et conventui presentes litteras una cum litteris predicti castellani patentibus sigilli mei munimine tradidi roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. LV°. feria sexta ante festum Symonis et Jude.

Registr. Nigrum, fol. 77 (en vidimus).

Comte de Limburg Stirum, *Le chambellan de Flandre*, pièces justificatives, n° 30.

197.

Littera domine comitisse, quod primogenitus domini de Gistella laudavit venditionem a patre nobis factam.

1255. 23 Octobre. Margareta, Flandrie comitissa, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod Walterus, primogenitus et heres domini Johannis de Ghistella militis, fidelis nostri, domini de Formosellis, et Ysabelle, ejus uxoris, habens etatem legitimam, venditionem, quam predicti parentes sui fecerant preposito et conventui beati Martini Yprensis de decima de Rininghels, in nostra propter hoc presentia constitutus, spontanea voluntate ratam habuit et approbavit, quitans et quitum clamans omne jus quod habebat vel habere poterat in decima prenotata, prout in litteris dictorum patris et matris ejus et nostris exinde confectis plenius continetur. Nos autem omnia predicta et singula approbamus, et eadem tanquam terre domina sigilli nostri munimine confirmamus.

Datum Ypris, anno Domini M°. CC°. L°. quinto, sabbato ante festum beatorum Simonis et Jude apostolorum.

Registr. Rubrum. fol. 76, et *Registr. Nigrum*, fol. 77 (en vidimus).

198.

De quatuor mensuris terre, quarta parte mensure minus, juxta Putshelst nobis datis.

Viro venerabili et discreto magistro Johanni de Laudunis, canonico et officiali Morinensi, J. decanus christianitatis Yprensis, salutem in Domino. Significamus vobis, quod Terricus Loekebru et Beatrix, uxor ejus, et Johannes, filius predictorum Terrici et Beatricis primogenitus, in nostra presentia constituti Nicholaum de Ghistella clericum, latorem presentium, suum constituerunt procuratorem ad cognoscendum coram vobis et ad reportandum a vobis litteras recognitionis, quod dicti Terricus et Beatrix et eorum filius predictus quatuor mensuras terre, excepta quarta parte unius mensure, jacentis in parochia de Zelebeke, juxta curtem sancti Martini Yprensis, que dicitur Pudshelst, que terra solvit ecclesie de Warnestoen viginti solidos et duos capones annuatim, preposito et conventui sancti Martini Yprensis in puram elemosinam contulerunt; et renuntiant predicti Terricus et Beatrix expresse omni juri quod in dicta terra habuerunt vel habere potuerunt hucusque et etiam quod habere possent imperpetuum, obligantes se, fide et juramento interpositis, ad predictos viginti solidos et duos capones annuatim persolvendos predicte ecclesie de Warnestoen, vel de eisdem se satisfacturos ad plenum. Et si ecclesia sancti Martini Yprensis de predictis viginti solidis et duobus caponibus aliquod damnum incurreret, eo quod predicte ecclesie de Warnestoen plenarie non esset satisfactum per predictos Terricum et Beatricem vel alterum ipsorum, ecclesiam sancti Martini Yprensis predicti Terricus et Beatrix servabunt indempnem, et si dicta ecclesia beati Martini Yprensis in aliquod dampnum inciderit propter defectum dicte solutionis, eo quod dicte ecclesie de Warnestun non esset satisfactum, dicta ecclesia sancti Martini Yprensis dampna sua propter hoc habita super quatuor mensuras terre dicti Terrici et Beatricis, ejus uxoris, jacentis in parochia sancti Jacobi Yprensis recuperaret. Quod noveritis et noverint universi. Datum anno Domini M°. CC°. L°. quinto, sabbato post epyphaniam Domini.

1255-56. 8 Janvier.

Registr. Rubrum, fol. 49.

199.

Littera super eisdem confirmationis et recognitionis contra curiam Morinensem.

1255-56. Janvier. Magister Johannes de Laudunis, canonicus et officialis Morinensis, universis presentes litteras visuris et audituris salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod in nostra presentia propter hoc personaliter constitutus, Nicholaus de Ghistella clericus, procurator Terrici Lokebru, Beatricis, ejus uxoris, et Johannis, eorum filii primogeniti, per litteras decani christianitatis Yprensis hiis annexas habens super hoc potestatem, recognovit pro ipsis et nomine ipsorum Terrici, Beatricis et Johannis, eorum filii predicti, quod ipsi Terricus, Beatrix et Johannes contulerunt ecclesie beati Martini Yprensis in puram elemosinam quatuor mensuras terre, excepta quarta parte unius mensure, jacentis in parochia de Zelebeke, juxta curtem sancti Martini Yprensis, que dicitur Pudshelst, que terra solvit ecclesie de Warneston viginti solidos et duos capones annuatim. Qui procurator renuntiavit pro ipsis Terrico, Beatrice et Johanne expresse omni juri quod in dicta terra habuerunt vel habere potuerunt hucusque, et quod possent in futurum et deberent habere. Qui procurator recognovit quod predicti Terricus, Beatrix et Johannes se obligarunt, fide et juramento interpositis, ad solutionem dictorum viginti solidorum et duorum caponum annuatim dicte ecclesie de Warneston, vel quod satisfacient ad plenum, ita quod si ecclesia beati Martini Yprensis pro dictis viginti solidis et caponibus non solutis ecclesie de Warneston dampnum aliquod incurreret, ipsi Terricus, Beatrix et Johannes ecclesiam sancti Martini Yprensis tenentur conservare indempnem; ita quod dicta ecclesia sancti Martini Yprensis dampnum si quod incurreret et reportaret pro dictis viginti solidis et caponibus ecclesie de Warnestoen non solutis, ipsa ecclesia sancti Martini Yprensis dictum dampnum posset et deberet recuperare super quatuor mensuras terre ipsorum Terrici, Beatricis et Johannis jacentis in parochia sancti Jacobi Yprensis, sicut in procuratorio predicto hiis annexo continetur. In cujus rei testimonium et munimen presentes litteras sigillo curie Morinensis fecimus sigillari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo L°. V°. mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 50.

200.

Littera per modum vidimus sub sigillo Radulfi, Morinensis episcopi, mentionem faciens de decima jacente in Reneghelst, ecclesie sancti Martini data per Johannem de Ghistella et ejusdem uxorem.

1256. Avril. Radulphus, miseratione divina Morinensis episcopus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos litteras illustris domine comitisse Flandrie, castellani de Lens, Johannis de Ghistella, Ysabelle

ejus uxoris et Balduini de Beka militis vidisse formas hujusmodi continentes. « Margareta, Flandrie comitissa etc. (*Les cartulaires renvoient pour le reste aux chartes reproduites ci-dessus* n^os^ 192, 191, 190, 196 et 197, *sinon que le* Registr. Nigrum *fait suivre la copie des deux dernières.*) » Nos autem predicta omnia approbantes, ea pontificali auctoritate confirmamus. In cujus rei testimonium predictis preposito et conventui presentes litteras sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. sexto, mense aprili.

Registr. Nigrum, fol. 77, et *Registr. Rubrum*, fol. 77.

201.

Littera de xxxiij. solidis et duobus caponibus annui redditus in Reninges nobis venditis.

Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Ypra, dominus de Rininghes, et Mathildis ejus uxor, castellana sancti Audomari, salutem. Noverit universitas vestra, quod vendidimus, de assensu et voluntate Johannis, filii nostri et heredis, bene et legitime ecclesie beati Martini Yprensis omnes redditus nostros annuales jacentes in Schithoec, juxta terram quam alias vendidimus secundum legem patrie predicte ecclesie, que terra dicitur Coitlant, videlicet triginta quatuor solidos Flandrenses paulo plus paulo minus et duos capones, pro viginti septem libris Flandrensibus, de quibus nobis satisfactum est ad plenum. Vendidimus etiam bene et legitime modo predicto relevia, formorturas, venditiones et alia omnia et singula ad dictos redditus pertinentia pro precio supradicto, renuntiantes expresse tam pro nobis quam pro heredibus nostris omni juri quod habebamus vel habere poteramus in omnibus et singulis prenotatis, et omni juris auxilio canonici vel civilis, per quod dicta venditio possit robur amittere firmitatis, exceptioni etiam non numerate pecunie seu solute. Et promittimus, fide et juramento corporaliter interpositis, quod contra venditionem predictam non veniemus per nos nec per alios, nec artem nec ingenium queremus, per quam vel per quod predicta venditio aliquo modo debeat impediri. Et promittimus modo predicto supradictos redditus cum omnibus ad eosdem redditus pertinentibus garandizare contra quoscunque ad opus ecclesie memorate. Ego vero Mathildis renuntio expresse omni juri dotis seu dotalicii, quod habebam vel habere poteram in premissis. Nos insuper cum Johanne, filio nostro et herede, quitamus et quitos clamamus predictos redditus et alia omnia et singula ad opus ecclesie prelibate, nec in premissis poterimus de cetero aliquid juris seu proprietatis per nos seu per alios reclamare. Ad hec omnia et singula Johannes, filius noster et heres, manum suam apposuit secundum legem patrie, eadem approbando sub prestito juramento. Salvum tamen nobis est et heredi nostro, quod possumus reddere pecuniam supradictam ecclesie predicte infra annum post presentium datam litterarum, et sic rehabere redditus supradictos et alia prenotata. Ut autem premissa omnia et singula firma et inconcussa permaneant in perpetuum, presentes

1256. Avril.

litteras preposito et capitulo ecclesie prenotate sigillorum nostrorum munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. sexto, mense aprili.

Registr. Rubrum, fol. 70.

202.

De mansura cum pomerio presbyteri sancti Johannis cum omni dominio.

1256. Avril. Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Warda miles salutem. Noverit universitas vestra, quod ego spontanea voluntate in presentia illustris domine mee comitisse Flandrie constitutus, necnon in presentia ballivi Yprensis predicte domine mee ac etiam hominum Yprensium domine comitisse, secundum legem patrie mansuram cum pomerio, quam presbyter parochialis beati Johannis in Ypra inhabitat, quitam clamavi et quitam clamo ad opus ecclesie beati Martini Yprensis, cum omni jure et dominio quod predecessores mei habebant vel habere poterant, vel quod ego habebam vel habere poteram in mansura supradicta, renuntians expresse, pro me et heredibus sive successoribus meis, omni exceptioni et omni juris auxilio canonici vel civilis. Intellexi enim ad plenum, quod predecessores mei, postquam predictam mansuram cum pomerio contulissent in puram elemosinam ecclesie supradicte beati Martini Yprensis, nichil juris habebant seu habere poterant in mansura prelibata; nec ego nec successores mei aliquid juris seu calumpnie in predicta mansura possumus, post collationem predicte elemosine factam, aliquatenus reclamare; promittens, fide et juramento corporaliter interpositis, pro me et heredibus seu successoribus meis, quod dictam ecclesiam non molestabo nec molestare procurabo per me nec per alium, et quod nec artem nec ingenium queram nec querere procurabo, per quam vel per quod dicta mansura in aliquo ab aliquibus poterit impediri, quin ecclesia memorata mansuram supradictam pacifice et sine aliqua calumpnia imperpetuum debeat possidere sine censu et redditu manuali. Et obligo me, heredes successoresque meos ad observandum et conservandum premissa, fide et juramento interpositis corporaliter, supplicans domine mee illustri Flandrie comitisse humiliter, quod premissa omnia et singula dignetur confirmare ad opus ecclesie sepedicte. Ut autem hec omnia et singula robur obtineant firmitatis, presentes litteras preposito et capitulo ecclesie beati Martini supradicte sigilli mei munimine tradidi roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense aprili.

Registr. Rubrum, fol. 46.

203.

Hic de eadem mansura.

1256. Avril Universis presentes litteras inspecturis Ph. ballivus Yprensis et Casletensis, salutem. Noverit universitas vestra, quod Johannes de Warda miles, in nostra

nec non et hominum illustrissime domine nostre Margarete, Flandrie comitisse, presentia spontanea voluntate constitutus, secundum legem patrie quitavit et quitam clamavit, effestucavit ac etiam contulit ecclesie beati Martini Yprensis mansuram cum pomerio, quam presbyter parochialis beati Johannis Yprensis inhabitat ad presens et, diu est, inhabitavit, cum omni jure et dominio quod habebat vel habere poterat per se vel per alium in mansura supradicta. Nos vero, ad mandatum illustrissime domine nostre supradicte, predictam ecclesiam beati Martini investivimus de predicta mansura, ipsam ecclesiam inducendo in corporalem et pacificam possessionem et perpetuam mansure supradicte secundum legem patrie, prout decet. In cujus rei testimonium presentes litteras preposito et capitulo ecclesie beati Martini Yprensis supradicte sigilli nostri munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini millesimo CC°. L°. sexto, mense aprili.

Registr. Rubrum, fol. 45.

204.

De decimis cardonum et genestarum in Boesinghe, quod nostre sunt.

Universis presentes litteras inspecturis J. abbas de Dulci Valle, et J. decanus christianitatis Yprensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Daniel, presbyter parochianus (1) de Boesingha, in nostra presentia spontanea voluntate constitutus, recognovit se debere viris religiosis et honestis preposito et capitulo beati Martini Yprensis novem marchas sterlingorum, videlicet tres marchas in anno presenti de decima agnorum predicte parochie; alias vero sex marchas, in quolibet anno sequenti duas marchas, usque ad solutionem pecunie supradicte. Et de predicta pecunia ad plenum persolvenda posuit predictus presbyter plegios Walterum de Curtraco et Lambertum de Curtraco, filium predicti Walteri, burgenses Yprenses, quemlibet pro toto, et hoc predicti plegii in presentia nostra constituti spontanee recognoverunt. Renuntiavit etiam predictus presbyter omni juri quod habebat vel habere poterat vel quod ei competebat in decimis cardonum et genestarum excrescentium in parochia de Boesingha supradicta, promittens, fide et juramento corporaliter prestitis, quod predictos prepositum et capitulum de cetero non trahet in causam nec molestabit in aliquo super premissis, sed gaudere permittet predictam ecclesiam beati Martini pacifice et quiete de decimis supradictis. Et tenebitur predictus presbyter congregare decimam agnorum suorum ad opus nostrum sub expensis suis propriis. Nos vero, ad instantiam et preces predicti presbyteri et ad observantiam perpetuam premissorum, presentes litteras predictis preposito et capitulo sigillorum nostrorum munimine tradidimus roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, sabbato post *Quasimodo*.

1256. 29 Avril.

Registr. Rubrum, fol. 65.

(1) *Parochianus*, erreur sans doute pour *parochialis*.

205.

Littera super iiij. libris et octo caponibus annui redditus in parochia sancti Johannis.

1256. Décembre. Universis presentes litteras inspecturis, Theodericus dictus Medem salutem. Noverit universitas vestra, quod inter viros religiosos prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex una parte, et me ex altera, permutatio de communi utilitate utrobique previsa, matura deliberatione prehabita, necnon et de consensu partium facta est amicabiliter in hunc modum. Videlicet quod ego Theodericus meique heredes sive successores habebimus imperpetuum alnetum, quod predicti prepositus et capitulum ante curtem meam possidebant in parochia sancti Jacobi, quod continet sex mensuras per totum, paulo plus paulo minus, cum omni jure hereditario necnon et alio jure quocumque, quod ipsi habebant in alneto supradicto vel habere poterant; renuntians expresse omni juris auxilio canonici vel civilis, per quod dicta permutatio robur possit amittere firmitatis. Predicti vero prepositus et capitulum habebunt pro dicto alneto hereditarie in parochia sancti Johannis iiij. libras et octo capones annuatim persolvendos in medio martio et in festo beati Remigii. Capones vero persolventur in natali Domini predictis preposito et capitulo vel certo eorum nuntio a Terrico dicto Medem, filio et herede Willelmi dicti Medem, super omnibus bonis suis in parochia predicta existentibus, quas iiij. libras ego Theodericus dictus Medem, secundum legem patrie emi erga Therricum filium Willelmi Medem, pro certa pecunia eidem Therrico numerata et ad plenum deliberata. Predicti vero prepositus et capitulum tenebuntur predicto Therrico, filio Willelmi Medem, ejusdemque successoribus ad unum denarium in pascha ad offerendum ratione hereditatis, nec ad aliud servicium aliquod cogi poterunt ratione supradicti redditus; et ipsi prepositus et capitulum supradicti in possessionem corporalem sepedicti redditus positi fuerunt secundum legem patrie ad plenum coram domino Johanne de Warda milite, et scabinis predicti Johannis, et hominibus domine comitisse Flandrie, quorum nomina inferius exprimentur, me Theoderico hoc procurante et ratum habente. Preterea predicti prepositus et capitulum habebunt novem solidos, sex denarios minus, quitos de denariis militum, in quibus ipsi tenebantur mihi annuatim; hoc notato, quod ego et mei successores persolvemus servitium tamquam de feodo meo de denariis supradictis. Margareta etiam, uxor mea, renuntiavit expresse omni juri dotis seu dotalicii, quod habebat vel habere poterat in redditu, caponibus et denariis supradictis. Ego vero obligo me et successores meos, quod ipsi nec artem nec ingenium queremus vel querere faciemus, per quam vel per quod dicta permutatio robur possit amittere firmitatis. Ego etiam meique successores tenebimur garandizare redditus, capones et denarios supradictos contra quoscumque. In cujus rei testimonium presentes litteras predictis preposito et capitulo sigilli mei munimine tradidi roboratas. Nomina autem scabinorum et hominum

coram quibus predicta acta sunt, sunt hec: Johannes filius Johannis, Lambertus Lievekint, Lambertus de Fleternes, Willelmus dictus Zuanke, Walterus de Remis, Paeskinus Waeghebart, Johannes Houbaren, Therricus dictus Medem filius Willelmi Medem, Boidinus Laurin et Walterus de Liematen. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense decembri.

Registr. Rubrum, fol. 60.

206.

Nota quod habebimus gradum dormitorii. Item quod nec claustrum nec dormitorium minuantur. Item de trellia et de clavibus ejus et de alia thesauraria. De trellia quam scabini debent facere et de clavibus.

Universis presentes litteras inspecturis advocatus, scabini et communitas ville Iprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod inter nos ex una parte, et prepositum et capitulum beati Martini Yprensis ex altera, de communi consensu nostro et predictorum prepositi et capituli amicabiliter est ordinatum, videlicet quod dicti prepositus et capitulum habebunt gradum descendentem de dormitorio suo versus claustrum suum, sicuti a tempore a quo non extat memoria, esse solebat et adhuc esse solet et adhuc est, et a dicto dormitorio similiter gradum cadentem in ipsum novum opus tendentem recta linea, ita quod novus gradus veterem gradum in latitudine non excedat; et supra predictos gradus debent facere clausuram non trelgiatam, statura hominis altiorem. Debent etiam facere murum sine januis in terminis novi operis et veteris, inter chorum et dormitorium suum, ita quod capelle beate Marie et beati Johannis non minuantur, et crux ecclesie construenda de novo versus novum opus nullatenus defiguretur, nec claustrum nec dormitorium predictorum prepositi et capituli minuantur. Nos vero advocatus, scabini et communitas supradicti habebimus capellam sancti Eligii una cum thesauraria que modo est, ita videlicet quod ostium, quod modo est in dicta thesauraria, remanebit ad intrandum et exeundum per ipsum predictum hostium, et clavis istius ostii penes predictos prepositum et capitulum remanebit. Nos vero debemus facere clausuram trelgiatam in terminis novi operis et veteris, cum hostiis seratis inter chorum et parietem versus forum, ita quod prepositus et capitulum supradicti habebunt unam clavem predictorum ostiorum, et nos advocatus, scabini et communitas aliam; et predicti prepositus et capitulum debent habere in recompensatione predictorum ad novam thesaurariam construendam particulam cimiterii versus hallam. In exitu chori in pulpito construendo debent predicti prepositus et capitulum habere ostium magnum ad exeundum ad processionem honorifice prout decet, et ab illo ostio versus suum dormitorium nullum aliud habebunt ab extra, ita quod ipsi ad crucem a dormitorio non habebunt accessum aliquem, nisi per predictorum chori aliquod ostiorum. Hec autem omnia predicta firmiter observabuntur, nisi de consensu predictarum partium

1256-57. 17 Janvier.

aliter fuerit ordinatum. Datum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo sexto, feria V^a^. post octavas epiphanie Domini.

Registr. Rubrum, fol. 96.

Des lettres de même teneur furent délivrées par le prévôt et le chapitre de Saint-Martin. On les trouvera comme suit:

Archives de la ville d'Ypres: original muni des sceaux du prévôt et du chapitre avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 11.

Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 2^e^ série t. III, p. 107. — Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 78 (analyse). — Renseigné dans Wauters, *Chartes et diplômes*, à la date inexacte du 10 janvier.

207.

Privilegium scabinorum de kercganc et de sententia arbitrali super hoc.

1257. Novembre. Universis presentes litteras inspecturis advocatus et scabini Yprenses salutem. Cum controversia verteretur inter nos ex una parte, et viros religiosos prepositum et capitulum sancti Martini Yprensis ex altera, super quadam consuetudine, que *kercganc* wulgaliter appellatur, et super omnibus aliis querelis usque in hodiernum diem habitis inter nos et ipsos, ubicumque fuerit, tam in curia Morinensi quam Remensi et etiam alibi, tandem, intervenientibus probis viris, amicabilis compromissio intercessit, videlicet in hunc modum, quod dicti prepositus et capitulum sancti Martini Yprensis elegerunt dominum Michaelem de Thorout et dominum Walterum Croeselin, pars autem nostra elegit viros religiosos dominum Johannem dictum Episcopum, decanum ecclesie beati Martini Yprensis, et dominum Arnulphum, canonicum dicte ecclesie, arbitros, fide mediante quod, (quidquid) predicti quatuor super premissis omnibus et singulis faciendum decreverint compositione sive judicio, dicte partes perpetue inviolabiliter observabunt, preposito antedicto dictis religiosis in se suscipiendi et terminandi dictum arbitrium cum dictis Michaele et Waltero auctoritatem prestante atque consensum. Qui videlicet arbitri pro bono pacis utrobique decreverunt, consensu partium amicabiliter interveniente, quod sponsus et sponsa eadem die qua venient ad ecclesiam sacramentum matrimonii suscepturi, celebrata missa, sponso et sponsa in matrimonio rite conjunctis, sponsa deduci debeat cum cereo lumine more solito ad idem altare seu ad aliud, loco et nomine consuetudinis antedicte, dum tamen super omnibus premissis et singulis pastoralis auctoritas intercedat. Promittimus autem bona fide jura ecclesie predicte in omnibus observare. Predictis autem preposito et canonicis permutationem predicte consuetudinis permittentibus auctoritate reverendi patris Morinensis episcopi est satisfactum. Ut autem hec omnia et singula robur obtineant firmitatis imperpetuum, presentes litteras parti adverse sigillo nostro tradidimus roboratas. Actum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo septimo, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 97.

Archives de la ville d'Ypres: lettres originales semblables données par Baudouin, prévôt de Saint-Martin et scellées de son sceau et de celui du chapitre avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 11. — Voir pour l'analyse, Diegerick, *Inventaire*, t. I, p. 81.

208.

Privilegium Alexandri pape, quod non tenemur ad provisionem vel receptionem alicujus, nisi de hac indulgentia littere papales fecerint mentionem.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Paci et tranquillitati vestre paterna volentes imposterum sollicitudine providere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad receptionem vel provisionem alicujus compelli non possitis per litteras apostolicas impetratas, ex quibus nondum est jus alicui acquisitum, seu etiam impetrandas, que plenam et expressam non fecerint de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, XV°. kalendas januarii, pontificatus nostri anno tercio. 1257. 18 Décemb.

Registr. Rubrum, fol. 143.

209.

Privilegium Alexandri pape, quod percipere possumus decimas novalium in parochiis in quibus jus patronatus habemus, pro ea portione qua in eis veteres percipimus.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui monasterii sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut in parochiis ecclesiarum in quibus jus patronatus habetis, pro ea portione qua in eis veteres juste percipitis, novalium decimas, de quibus aliquis hactenus non percepit, percipere valeatis sine juris prejudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, XV°. kalendas januarii, pontificatus nostri anno tercio. 1257. 18 Décemb.

Registr. Rubrum, fol. 143.

Voir à ce sujet une bulle de la même époque analysée dans Diegerick, *Inventaire*, t. I, p. 83.

210.

Littera scabinorum, quod Lambertus de Zarren et ejus uxor Elisabeth filio suo dederunt duas mensuras terre in Sleckenburgh.

1257-58. Janvier. Universis presentes litteras inspecturis scabini de Hoflande in Ypra salutem. Noverit universitas vestra, quod Lambertus de Zarren et Elyzabeth, ejus uxor, in nostra presentia constituti, sani et incolumes Lamberto, filio eorum clerico, causa Dei et studii in elemosinam contulerunt duas mensuras terre jacentes in Sleckenburgh, ab orientali parte vici juxta Screbome versus Ypram, pure, absolute et libere imperpetuum possidendas. Testes scabini de Hoflande: Boudri de Zarren, Godscalch de Moutmakere, Symon de Viven, Cristianus Tegheldeckere, Jacobus Ghisel, Lambertus De Bakere, Bartholomeus Medem. Et ut hec donatio firma permaneat imperpetuum, presentes litteras sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno Domini M°. CC°. quinquagesimo septimo, mense januarii.

Registr. Rubrum, fol. 44.

211.

De predictis duabus mensuris terre nobis venditis a Lamberto de Zarren.

1259-60. Février. Universis presentes litteras inspecturis scabini de Hoflande in Ypra salutem. Noverit universitas vestra, quod Lambertus de Zarren clericus, filius Lamberti de Zarren, spontanea voluntate in nostra presentia constitutus vendidit, werpivit et effestucavit secundum legem patrie bene et legitime ecclesie beati Martini Yprensis duas mensuras terre jacentes in Sleckenburgh, ab orientali parte vici juxta Screibome versus Ypram, pure et absolute imperpetuum possidendas, promittens, fide et juramento interpositis, quod per se nec per alium contra dictam venditionem veniet nec venire procurabit imperpetuum. Renuntiavit etiam predictus Lambertus clericus exceptioni non numerate pecunie seu solute, et etiam omni juris auxilio canonici vel civilis, per quod dicta venditio robur possit amittere firmitatis. Promisit etiam dictus Lambertus clericus, fide et juramento interpositis, quod dictam ecclesiam garandizabit super venditione supradicta contra quoscumque. Promisit etiam dictus Lambertus clericus, quod nec artem nec ingenium queret nec querere faciet, per quam vel per quod dicta venditio robur possit amittere firmitatis. Testes scabini de Hoflande: Boudri de Zarren, Heinricus de Brugis, Jacobus Vellemakere, Bartholomeus Ghisel, Godscalc Moutmakere, Salomon Brun, Cristianus Tegheldeckere. Et ut hec omnia et singula firma et inconcussa permaneant, presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense februarii.

Registr. Rubrum, fol. 45, *et Registr. Novum*, fol. 188.

212.

De duabus mansuris extra portam Mecinensem nobis venditis.

1259-60. 14 Février.

Universis presentes litteras inspecturis vel visuris Johannes, decanus christianitatis Yprensis, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod Lambertus de Zarren clericus, propter hoc in nostra presentia constitutus, recognovit se vendidisse ecclesie sancti Martini Yprensis et werpiisse ad legem et consuetudinem patrie et ville Yprensis duas mansuras sitas extra portam Mecinensem, in parochia sancti Michaelis Yprensis, quarum unam inhabitat Johannes Clauwart, et in alteram Egidius dictus Miles cum suis coheredibus, pro quadam certa summa pecunie, prout asseruit idem Lambertus, sibi a dicta ecclesia soluta, promittens coram nobis, fide et juramento corporali prestitis, quod dictas mansuras de cetero non reclamabit, et quod contra dictam venditionem non veniet nec per se nec per alterum in futurum. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro duximus roborandas. Datum anno Domini M°. CC°. L°. nono, dominica ante cineres, mense februario.

Registr. Rubrum, fol. 45, et *Registr. Novum*, fol. 155.

213.

Nota de Brielo.

1260. Novembre.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Balduinus, Dei permissione prepositus, totusque conventus sancti Martini Yprensis salutem in Domino sempiternam. Cum Beghine de Brielo Yprensi habeant infirmariam quandam sitam in curte sua, que est in parochia nostra de Brielo, ubi pauperes et infirme Beghine decumbunt, que propter proprii corporis debilitatem nec non et infirmitatem ad ecclesiam venire, ut divina audiant, minime possunt, aliquando etiam longo temporis intervallo, ideo nos ipsis compatiendo, divine pietatis intuitu, ad instantiam illustris domine M[argarete], comitisse Flandrie et Haynonie, necnon et ipsarum, dedimus licentiam ibidem habendi capellam unam, ut in ipsa possint missarum sollempnia celebrari; ita tamen quod nullus in dicta capella poterit celebrare divina, nisi de nostra licentia vel presbyteri parochie predicte de Brielo Yprensi, illa dumtaxat hora qua parochialem missam contigerit celebrari vel ibidem etiam predicari. Predicta vero omnia concessimus, salvo nobis in omnibus jure parochiali. Et ut hec rata et inconvulsa imperpetuum permaneant, presentes litteras sigillo illustris domine superius nominate et sigillorum nostrorum munimine dignum duximus roborare. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 11.

214.

Quomodo Walterus, procurator ecclesie sancti Martini, contradixit litteris impetratis a sede apostolica super loco quodam, ut in eodem monasterium de Rosendale construeretur; quas tamen tali conditione absolvit, quod per hujusmodi litteras ecclesie nostre nullum prejudicium generetur.

1260. 23 Décemb. 1259. 8 Décemb. Omnibus presentes litteras inspecturis Johannes de Camentan, domini pape capellanus et ipsius contradictarum auditor, salutem in Domino. Noveritis quod cum Jacobus canonicus Buccensis, procurator abbatisse et conventus monasterii de Rosendale, super plateam de Longemarke juxta Yprum, ordinis sancti Damiani, Morinensis dyoceseos, pro ipsis impetrasset litteras apostolicas sub hac forma: «Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatisse et conventui monasterii de Rosendale, super plateam de Longemarke juxta Yprum, ordinis sancti Damiani, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, sicut asseritis, Margareta, relicta quondam Johannis Boudravens vidua, Morinensis dyoceseos, locum de Rosendale, super plateam de Longemarke juxta Yprum, cum appendiciis suis, ejusdem dyoceseos, ut in eo ad honorem beate Clare monasterium construatis, exhibentes ibidem sub observantia ordinis sancti Damiani devotum Deo famulatum, pro anime sue remedio, prout ad eam spectabat, vobis pia et provida donaverit largitate, ac dilecta in Christo filia nobilis mulier comitissa Flandrie, in cujus comitatu locus ipse consistit, donationem hujusmodi confirmarit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Margareta et comitissa super hoc pie et provide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagnie, VI°. idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.» Eisdem litteris magister Walterus, procurator prepositi et capituli ecclesie sancti Martini Yprensis, pro ipsis in audientia publica contradixit; quas tamdem ea conditione absolvit, quod per hujusmodi litteras privilegiis, juribus, emunitatibus et indulgentiis dicte ecclesie nullum prejudicium generetur, quod pars altera *promisit* firmiter coram nobis. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et nostro sigillo muniri. Datum Anagnie, X°. kal. januarii, pontificatus domini Alexandri pape IIII. anno sexto.

Registr. Nigrum, fol. 76.

Voir dans Diegerick, *Inventaire*, t. I, p. 84, l'analyse d'une bulle d'Alexandre IV adressée le 5 mars 1257 aux religieuses de Sainte-Claire à Langemarck.

215.

Mandatum et indultum ne aliqui cujuscumque ordinis possint sine nobis infra parochiarum nostrarum fines ecclesiam vel oratorium construere seu domum eligere. 1261.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Significastis nobis, quod licet vobis a sede apostolica sit indultum, ut nulli possint infra limites parochiarum ecclesiarum vestrarum construere oratorium vel ecclesiam, absque vestra licentia speciali, quidam tamen fratres heremite, ordinis sancti Augustini, infra limites parochie ecclesie sancti Jacobi Yprensis, que vestra specialis existit, vobis et venerabili fratre nostro episcopo Morinensi, loci dyocesano, contradicentibus et invitis, ecclesiam de novo temeritate propria construere inceperunt, procurantes per conservatorem privilegiorum eis a sede concessorum eadem, quamquam nullum super hoc privilegium habeant, vobis sub pena excommunicationis districtius inhiberi, ne vos super hoc aliquatenus fratribus opponeretis eisdem. Propter quod vos ad sedem appellantes eandem, ad ipsius duxistis providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicantes, ut cum vos ad preces et mandatum felicis recordationis A[lexandri] pape, predecessoris nostri, fratres minores infra fines parochie ecclesie vestre sancti Martini ecclesiam construere, quamvis per hoc vobis in oblationibus et obventionibus aliisque juribus non modicum depereat, sustinueritis reverenter, providere super hoc vobis de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut dicti fratres heremite seu alii cujuscumque ordinis non possint de cetero infra fines parochiarum ipsarum, per litteras a sede impetratas predicta, per quas non sit ipsis jus aliquod super hoc specialiter acquisitum, seu etiam impetrandas, ecclesiam vel oratorium construere sive domum et ibi eligere mansionem, nisi eedem littere impetrande plenam et expressam fecerint de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, XV°. kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo. 17 Septemb.

Registr. Rubrum, fol. 31.

216.

Littera executoria contra Augustinos ne edificarent. 1261.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et magistro Egidio, canonico beate Marie et scolastico sancti Donatiani Brugensium ecclesiarum, Tornacensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis 17 Septemb.

dilecti filii prepositus et capitulum ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, quod licet eis a sede apostolica sit indultum, ut nulli possint infra limites parochiarum ecclesiarum suarum construere oratorium vel ecclesiam, absque ipsorum speciali (licentia), quidam tamen fratres heremite ordinis sancti Augustini infra limites parochie ecclesie sancti Jacobi Yprensis, que ipsorum specialis existit, eisdem preposito et capitulo et venerabili fratre nostro episcopo Morinensi, loci dyocesano, contradicentibus et invitis, ecclesiam de novo temeritate propria construere inceperunt, et in ea divina officia temere celebrantes contendunt ibi eligere mansionem, procurantes, per conservatorem privilegiorum eis a sede concessorum eadem, predictis preposito et capitulo districte inhiberi, ne ipsis fratribus super constructione hujusmodi aliquatenus se opponant, et in eos, si secus fecerint, excommunicationis sententiam promulgari. Propter quod dicti prepositus et capitulum, ad predictam sedem voce appellationis emissa, duxerunt ad illius providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicantes ut, cum ipsi ad preces et mandatum felicis recordationis A[lexandri] pape, predecessoris nostri, fratres minores infra fines parochie ecclesie ipsorum sancti Martini ecclesiam construere, quamvis per hoc eis in oblationibus, in obventionibus aliisque parochialibus juribus non modicum depereat, sustinuerint reverenter, providere super hoc eis de benignitate apostolica curaremus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, predictos fratres heremitas, quod a constructione ipsius ecclesie omnino desistant ac opus hujusmodi destruant sic inceptum, necnon et illos qui super hoc eisdem fratribus heremitis auxilium vel favorem impendunt, quod ab hujusmodi auxilii et favoris exhibitione penitus conquiescant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, ratione previa compellatis, inhibitione ac excommunicatione premissis, sicut justum fuerit, revocatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Viterbii, XV°. kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 30.

217.

Confirmatio domini pape super broco de Reninges.

1261. 25 Septemb. Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, nobilis vir Johannes, dominus de Rininghes, et Mathildis, castellana sancti Audomari, uxor ejus, et eorumdem filii quandam terram, que vulgariter dicitur broec de Rininghes, cum quibusdam vassallis suis de Schithoec, pro-

ut spectabat ad eos, vobis et per vos ecclesie vestre contulerint intuitu pietatis, nos vestris supplicationibus inclinati collationem hujusmodi, sicut pie ac provide facta est, ratam habentes et firmam, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio· communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, VII°. kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 70.

218.

Confirmatio domini pape super decima de Reninghels.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Iprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dioceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Meritis vestre religionis inducimur, ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nobilis vir Johannes de Ghistella, dominus de Formosellis, et Ysabella, uxor ejus, Tornacensis dioceseos, quandam decimam, quam in parochia ecclesie de Rininghels, Morinensi diocesi deputate, vobis canonice in usus proprios consistentem obtinuisse ab antiquo noscuntur, vobis de assensu Morinensis episcopi, diocesani loci, duxerunt liberaliter conferendam. Propter quod nobis humiliter supplicastis ut, cum decima ipsa de illis, que antiquitus fuerunt laicis perpetuo concesse in feudum, existat, idemque nobilis vir et uxor diligenter commoniti induci nequiverint, ut eandem decimam restituerent ecclesie, a qua tenebatur in feudum, concessionem hujusmodi confirmare, de consueta sedis apostolice clementia dignaremur. Nos (igitur) vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc pie ac provide factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii III°. idus octobris, pontificatus nostri anno primo.

1261. 13 Octobre.

Registr. Rubrum, fol. 77.

219.

Confirmatio Willermi dicti li Bleus super prati venditione, et quod adversus relictam Ghiselini garandizabit.

Universis presentes litteras visuris Willermus, dictus li Bleus de Duaco miles, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod vendicioni

1261-62. 13 Janvier.

cujusdam prati jacentis in dominio nostro, in parochia de Calona supra Lisam, facte ecclesie sancti Martini Yprensis a Nicholao dicto de Atrio legitime, consentimus et consensum prebemus, eandem, quantum est in nobis, confirmantes; et tenemur dictam vendicionem dicti prati warandizare contra relictam Ghiselini de Calona. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro sigillavimus. Datum anno Domini millesimo CC°. sexagesimo primo, die veneris post epyphaniam Domini.

Registr. Rubrum, fol. 89.

220.

Privilegium Urbani pape de pensionibus et beneficiis nostris.

1262. 13 Avril. Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et conventui ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Meritis vestre devotionis inducimur, ut vos vestramque ecclesiam favore apostolico prosequentes, petitiones vestras ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis ad vestram collationem vel presentationem spectantibus minime teneamini, neque ad id compelli possitis, nec alius de hiis vobis invitis valeat alicui providere per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de hac indulgentia mentionem. Nos enim suspensionis, excommunicationis et interdicti sententias, si quas in vos communiter vel divisim contra presentis indulti tenorem fieri contigerit, decernimus irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum, presentibus post triennium minime valituris. Datum Viterbii, idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 143.

221.

Recognitio domini Fastredi de Haveskerke, quod injuste movit questionem contra nos et quod juste possidemus nostra in Calone.

1262. 15 Mai. Universis presentes litteras visuris Fastredus de Haveskerke miles, dominus de Calona, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum nos dudum moverimus Yprensi ecclesie questionem super quibusdam bonis jacentibus in dominio nostro, videlicet in villa de Calona, inspectis instrumentis ipsius ecclesie et auditis rationibus ejusdem, dictam questionem sive querelam ipsi ecclesie remisimus, et insuper coram hominibus curie nostre recognovimus,

quod ea de quibus questio ipsi mota fuit a nobis, rite et juste possidet dicta ecclesia et etiam possidebat. Nomina autem eorum qui huic recognitioni interfuerunt, sunt hec: Dominus Robertus frater noster miles, Gilotus de Calona, Petrus de Waloncapella, Willermus de Beles Aises, Johannes Molendinarius et Baldwinus dictus Parvus. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo CC°. sexagesimo secundo, feria secunda ante ascensionem Domini.

Registr. Rubrum, fol. 89.

222.

De illis de Rosendale. De medietate oblationum ibidem, de denariis et candelis in missa etc.

Universis presentes litteras inspecturis abbatissa de Rosendale juxta Ypram totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum discordia seu contentio esset inter nos ex una parte, et religiosos viros prepositum et conventum sancti Martini Yprensis ex parte altera, super constructione nostri monasterii et appenditiorum ejus in loco qui dicitur Rosendale, in quo quidem loco dicti prepositus et conventus jus patronatus habere dicuntur, tandem de consilio magnorum et proborum pacem super predictis perpetuam reformando inter nos et dictos prepositum et conventum Yprensem amicabiliter et benigne composuimus in hunc modum, quod dicti prepositus et conventus consentiunt, concedunt et volunt finaliter, quod nos possimus construere monasterium nostrum in loco qui dicitur Rosendale sepedicto, et omnia spiritualia ibidem exequi, que ad domum religiosorum noscuntur pertinere, eo salvo, quod nos reddemus et reddere tenebimur dictis preposito et conventui medietatem oblationum solum ad manum sacerdotis seu sacerdotum in minutis denariis et candelis devenientium in futurum; hoc notato, quod si quas oblationes seu obventiones contigerit provenire in nostro monasterio seu monasterii nostri ecclesia, in dedicationibus, funeribus seu aliis quibuscumque, similiter et de testamentis seu legatis et elemosinis undecumque venerint, dum tamen non fiant in missarum sollempniis ad manum sacerdotis seu sacerdotum, ut superius est declaratum, nichil eis amplius, quam quod expressum est supra, poterunt sibi vendicare vel reclamare. Nec poterunt dicti prepositus et conventus de predictis vel circa predicta exigere plus a nobis. Et ut omnis materia contentionis imposterum amputetur, oblationum superius declaratarum solutio conscientie et fidei abbatisse de Rosendale relinquetur. Preterea si contingeret aliquo consilio nos et monasterium nostrum ad alium locum velle transferre, dum tamen infra nova fossata ville Yprensis nos non transferremus, alibi ubicunque nobis visum esset melius expedire, infra personatum dictorum prepositi et conventus nos et monasterium nostrum transferre licebit, ac ibidem construere et edificare pro nostre voluntatis arbitrio, et pacifice sine ipsorum prepositi et conventus oppositione et calumpnia remanere,

1262-63. Janvier.

secundum formam compositionis nostre subscriptam. Nec est pretermittendum quod, si nos et nostram abbatissam ad alium locum transferri contingat, nec in loco ubi nunc manemus, nec alibi infra personatum eorum, nisi specialiter in loco ad quem nos transferremus, ecclesiam aut oratorium habere poterimus vel capellam. Insuper expensas factas in lite nostra occasione contentionis prelibate, necnon et dampna que sustinuimus occasione predicta, remittimus preposito et conventui supradictis; et si jus aliquod in predictis expensis et dampnis repetendis habuimus, eidem juri expresse renuntiamus. Hanc igitur pacem, compositionem et omnes conventiones superius declaratas tam nos quam dicti prepositus et conventus Yprensis vero corde et fide non ficta promisimus et adhuc promittimus inviolabiliter observare, et omnibus privilegiis, litteris apostolicis et aliis quibuscumque jam impetratis seu impetrandis in futurum, per que predicte pax, compositio et conventiones frangi possent in parte vel in toto seu etiam impediri, necnon omnibus exceptionibus juris et facti, fraudis et doli, que possent quoquo modo impedire formam pacis predicte vel eidem obviare, tam nos abbatissa et conventus quam ipsi prepositus et conventus expresse renuntiamus, protestatione tali prehabita, quod in causis aliis que predicta non tangunt, seu que ad formam pacis prescriptam impediendam vel turbandam non pertinent nec imposterum pertinebunt, non intendimus privilegiis nostris seu eorum effectui derogare. In cujus rei testimonium presentes litteras, ne cassari valeant et ut contenta in eisdem robur obtineant firmitatis, sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 39.

223.

De decima domini Lamberti de Rosebeke, [in parochia de Longhemarct].

1263. Mai. Universis presentes litteras visuris Lambertus de Rosebeka miles salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod ecclesie beati Martini Yprensis decimam meam de Longhemarct, quam teneo in feodum ab illustri domina mea Margareta, Flandrie ac Haynonie comitissa, obligavi et obligo pro sexaginta et quinque libris Flandrensibus tenendam a dicta ecclesia per decem annos pacifice et quiete. Quam decimam post decem annos completos redimere potero pro pecunia antedicta. Expletis vero decem annis, nisi dictam decimam ante nativitatem beati Johannis Baptiste redemero, dictis sexaginta et quinque libris Flandrensibus integraliter dicte ecclesie persolutis, quocunque anno sequenti fructus sequentium messium ad dictam ecclesiam pertinebunt, et ita servabitur successive de anno in annum post dictos annos decem completos, donec dicta pecunia fuerit dicte ecclesie integraliter persoluta. Fructus autem dicte decime medio tempore ab ecclesia memorata perceptos vel percipiendos, si quid juris in dictis fructibus habeam vel habere potero seu heres vel heredes mei impos-

terum, illud libere et absolute in puram elemosinam confero ecclesie prelibate. Teneor etiam heredem meum primogenitum, cum ad etatem legitimam pervenerit, ad premissa omnia rata habenda adducere, ubicumque necesse fuerit, cum effectu, ad omnia superius expressa firmiter observanda, me et successores meos sub jam prestito a me corporaliter juramento specialiter obligando. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo meo proprio communivi. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 41.

224.

De renuntiatione dotis de consensu uxoris Lamberti super dicta decima.

Universis presentes litteras inspecturis Yzabella, uxor domini Lamberti de Rosebeke militis, salutem in Domino. Noveritis quod ego obligationi decime jacentis in parochia de Longhemarc, facte a domino L[amberto], marito meo ecclesie beati Martini Yprensis, quam quidem decimam idem L[ambertus], maritus meus, tenet in feodum ab illustri domina Margareta, Flandrie ac Haynonie comitissa, consentio, et juro me contra dictam obligationem, prout facta est, nunquam venturam per me seu per alium ratione dotis seu dotalicii, maxime quod per dictam obligationem mihi et marito meo predicto subventum est in necessitatibus nostris, et conditio nostra per dictam obligationem multo melior est effecta. Renuntio etiam, interposito juramento, omni exceptioni juris et facti, beneficio cuilibet, quod mihi competere potest ratione dotis seu dotalicii, exceptioni non numerate pecunie, fraudis et doli, necnon et aliis que mihi prodesse possent in aliquo vel obesse ecclesie supradicte. Et quia sigillum proprium non habeo, sigillo patris mei W. de Morsleda militis usa sum in hac parte. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense maio. 1263. Mai.

Registr. Rubrum, fol. 41.

225.

De consensu prepositi et conventus Formozellensis super dicta decima.

Universis presentes litteras visuris J. prepositus, et conventus ecclesie sancte Marie Formozellensis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos obligationi, quam dominus Lambertus de Rosebeka miles ecclesie beati Martini Yprensis fecit, de decima sua, quam habet in parochia de Longhemarc in patronatu nostro, cujus tenor talis est: « Universis presentes litteras visuris Lambertus de Rosebeka miles, *ut supra*. Datum *ut supra* (*voir* n° 223). » quantum in nobis est, consentimus expresse et consensum prebemus, obligationem eandem ratificantes et ratam habentes, jus, si quod nobis competat in dicta decima sive in dicte decime fructibus, ad opus dicte ecclesie renuntiamus et dicte ecclesie 1263. Mai.

conferimus sub testimonio presentium, quas sigillis nostris in testimonium hujus rei geste duximus sigillandas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense maio.

Registr. Rubrum. fol. 42.

226.

De consensu presbyterorum de Longhemarc super dicta decima.

1263. Mai. Universis presentes litteras visuris Johannes dictus Witte, presbiter, et Adam dictus Scavin, clericus curati de Longhemarct, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod obligationi, quam dominus Lambertus de Rosebeke miles ecclesie beati Martini Yprensis fecit de decima sua, quam habet in parochia nostra de Longhemarct, consentimus et consensum adhibemus, dictam obligationem, quantum in nobis est, ratificantes et ratam habentes, jus, si quod nobis competat in dicta decima seu in dicte decime fructibus, ad opus dicte ecclesie renuntiamus et eidem ecclesie conferimus, sub testimonio presentium litterarum sigillis nostris propriis sigillatarum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 42.

227.

De consensu domine comitisse et confirmatione super eadem decima.

1263. Mai. Margareta, Flandrie ac Haynonie comitissa, universis presentes litteras visuris salutem in Domino. Noveritis me litteras Lamberti de Rosebeka militis vidisse in hec verba: « Universis presentes litteras visuris Lambertus de Rosebeka miles *et cetera ut supra* (*voir* n° 223). Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo tercio, mense maio *etc.* » Huic autem obligationi consensum et auctoritatem prebemus et quantum in nobis est, sigilli nostri testimonio confirmamus. Datum anno Domini M°. ducentesimo sexagesimo tercio, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 42.

228.

Hic de Buscho et de venditione moeri apud Houthem. Littera etiam de satisfactione ejusdem.

1263. Juillet. Universis presentes litteras inspecturis abbatissa et conventus de Buscho salutem in Domino sempiternam. Universitati vestre significamus, quod nos de communi consensu nostro, quicquid habemus moeri tam in aqua quam in terra apud Houthem, funditus imperpetuum preposito conventuique sancti Martini

Yprensis vendidimus, de quo etiam moero nobis est satisfactum competenter. Et ut dicta venditio robur obtineat firmitatis, presentes litteras dictis preposito et conventui sigillorum nostrorum munimine contulimus sigillatas. Actum et datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo tercio, mense julio.

Registr. Rubrum, fol. 32.

229.

Hic specificamus terras que empte sunt in Zantvorde.

Nos Margareta, Flandrie et Haynonie comitissa, notum facimus universis, quod cum ecclesia sancti Martini Yprensis emerit seu acquisierit in Zantforde, erga Johannem Hermannum le Ward et Lambertum Feclin et filios Nicholai le Rous septem mensuras terre; item erga Walterum de Schachtelweghe iiij. mensuras prati; item erga Germanum, dictum filium Presbyteri, novem mensuras terre; item in Zelebeke erga Johannem Waghenare tres mensuras; item erga Johannem Vocse quinque mensuras terre; item erga Therricum Loekebru quatuor mensuras; item erga Laurentium Bertolf octoginta virgas terre; item in Ghelevelt erga Lambertum de Eskout quatuor mensuras; item erga eundem Lambertum fundum unius mansure; item erga eundem duas mensuras; item erga Lambertum, filium Boidini de Stoede, dimidiam mensuram; item erga heredes Willelmi Maus septem mensuras; item in Brielo Yprensi erga Michaelem Snottin unam mensuram; item erga Johannem Gommaer sex mensuras terre; item erga Johannem Drieu tres mensuras terre; nos acquisitionem et emptionem predictarum terrarum ratas et gratas habentes, eas, quantum in nobis est, tanquam terre domina confirmamus. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, in vigilia omnium sanctorum. 1263. 31 Octobre.

Registr. Rubrum, fol. 40.

230.

Hic est de terra de Zantforde, de licentia domine comitisse.

Nos Margareta, Flandrie et Haynonie comitissa, notum facimus universis, quod nos ad id nostrum prebemus assensum, quod dominus Henricus de Zantvorde miles et Verghina, ejus uxor, vendere valeant ecclesie sancti Martini Yprensis quadraginta mensuras terre hereditarie non feodalis, parum plus vel minus, jacentis in parochiis de Bousinghes et de Pelekem, volentes quod dicta ecclesia in dicta terra intret ad legem, salvis tamen nobis justicia nostra omnimoda, jure nostro ac redditu et censu in terra predicta, prout premissa prius habuimus in eadem, presentium testimonio litterarum. Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo tertio, die mercurii post octabas purificationis beate Virginis. 1263-64. 13 Février.

Registr. Rubrum, fol. 40.

231.

Littera conventionis inter nos et Augustinos, et nota quod nullum ad confessionem admittere vel ad sepulturam nec predicare tenentur.

1263-64. 21 Mars. Universis presentes litteras visuris B[alduinus], divina permissione prepositus, et capitulum sancti Martini Yprensis, frater Johannes de Eugubio, (prior) provincialis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini in regno Francie, frater Petrus prior et fratres ejusdem ordinis apud Ypram manentes salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum controversia esset inter nos hinc inde, videlicet prepositum et capitulum predictos ex una parte, et dictos priores et fratres ex altera, super eo quod nos, prepositus et capitulum predicti, dictos priores et fratres volentes monasterium construere infra parochias nostras Ypreuses, in prejudicium uostrum, contra libertates et privilegia ecclesie nostre ab apostolica sede concessa, a nostris finibus repellere nitebamur, et super hoc diutius lis penderet inter nos hinc et inde coram judicibus delegatis, tandem de bonorum et jurisperitorum consilio adinvicem convenimus in hunc modum, quod nos, prepositus et capitulum predicti, quantum in nobis est, concedimus dictis prioribus et fratribus, ut infra parochias nostras Yprenses monasterium construant, et jura monasterialia ibidem libere exerceant sub hac forma, ut predicti priores et fratres nullum ad confessionem admittant vel ad sepulturam, nec predicent infra parochias Yprenses, nisi de nostra licentia speciali. Et debent prior et fratres infra parochias Yprenses manentes, in festis beati Martini tam estivalis quam yemalis, ad processionem venire celebrandam in dictis festis, cum cereo unius libre ante majus altare ecclesie nostre beati Martini, a priore, qui apud Ypram pro tempore erit, publice offerendo. Concedimus etiam ipsis priori et fratribus medietatem oblationum in ecclesia dictorum prioris et fratrum ad manus sacerdotum devenientium, alia medietate a dictis priore et fratribus integraliter nobis reddenda. Medietatem autem legatorum sive testamentorum ipsis priori et fratribus infra parochias Yprenses relictorum seu relinquendorum debent nobis reddere dicti prior et fratres, in compensationem tum oblationum quas ipsis concedimus pro dimidia parte, tum juris ad quod ipsos admittimus. Et debet quilibet prior in ingressu sui prioratus, prout succedent sibi adinvicem imperpetuum, premissa omnia firmiter et fideliter observare, sub juramento prestando in capitulo beati Martini Yprensis. Et nos, predicti priores et fratres, Deo gratias agentes de premissis, grates, in quantum possumus, dictis preposito et capitulo referimus ampliores, de gratia nobis liberaliter facta a preposito et capitulo supradictis, firmiter et fideliter promittentes nos formam expressam superius, tum de oblationibus, testamentis seu legatis, tum de confessionibus, sepulturis, predicationibus et aliis juribus parochialibus supradictis nos imperpetuum servaturos. Promittimus etiam nos, predicti priores et fratres, quod locum acceptabimus, quem viri religiosi domini Jacobus dictus

Coudenesa, Willermus dictus Fullo et Nicholaus dictus Willemer, presbyteri et canonici sancti Martini Yprensis, hinc inde ad hoc electi, communiter infra parochias Yprenses nobis ad opus monasterii assignabunt. In cujus rei testimonium, nos prepositus et capitulum, priores et fratres predicti sigilla nostra duximus presentibus litteris apponenda. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, in festo sancti Benedicti.

Registr. Rubrum, fol. 29.

232.

Confirmatio conventionis et pacis predicte per capitulum sede vacante.

1263-64 Mars.

Universis presentes litteras inspecturis R. decanus, et capitulum Morinense salutem in Domino. Noveritis litteras virorum religiosorum prepositi et capituli sancti Martini Yprensis, prioris provincialis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini in regno Francie, priorisque et fratrum ejusdem ordinis apud Ypram manentium, eorum sigillis sigillatas, integras et illesas vidisse formam hujusmodi continentes : « Universis presentes litteras visuris B[alduinus] *et cetera*. (*Voir* n° 231.) Datum ut supra. » Preterea dicti priores et fratres debent conventiones supradictas, in pretactis litteris contentas et expressas, facere approbari per ipsorum priorem tocius ordinis generalem, ac etiam, antequam monasterium infra parochias Yprenses incipiant construere, per sedem apostolicam suis propriis sumptibus confirmari, sicut eorum prior provincialis predictus, nomine suo et nomine dictorum prioris et fratrum Yprensium, coram nobis in capitulo nostro Morinensi recognovit et promisit. Nos vero decanus et capitulum Morinense, ad instantiam et preces dictarum partium, predictam compositionem et omnia prescripta approbantes et laudantes, eisdem auctoritate sedis vacantis Morinensis consensum nostrum et auctoritatem benigne adhibemus. In cujus rei testimonium presentibus sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo tercio, mense martio.

Registr. Rubrum, fol. 30.

233.

De Augustinis. Littera venditionis prioris domus eorum.

1264. 14 Juin.

Viris religiosis et discretis dominisque suis in Christo karissimis decano et capitulo Morinensi frater Petrus de Thoroud, prior, et conventus fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini de Ypra salutem cum omni reverentia et honore. Noverit vestra discretio, quod nos fundum nostrum situm apud Ypram, extra portam que dicitur Angwarporte, a parte meridionali strate que ducit versus Zinnebeke, in parochia sancti Jacobi Yprensis, in quo usque nunc mansimus, ecclesie beati Martini Yprensis urgente necessitate vendidimus, tradidimus, guer-

pivimus et deliberavimus, prout moris est, pro certa pecunie quantitate nobis ad plenum soluta et in utilitatem evidentem domus nostre conversa. Quare discretioni vestre humiliter supplicamus, quatinus venditionem, traditionem, guerpitionem et deliberationem predictas, cum sedes Morinensis ad presens vacet, dignemini approbare ac etiam, quantum in vobis est, confirmare. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, in die sancti Basilii.

Registr. Rubrum, fol. 28.

234.

Confirmatio venditionis fundi qui fuit Augustinorum.

1264. 16 Juin. Universis presentes litteras inspecturis R. decanus, et capitulum ecclesie Morinensis salutem in Domino. Cum prior et conventus fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini de Ypra nobis supplicaverint per suas litteras patentes eorum sigillis, prout prima facie apparebat, sigillatas, ut venditionem quam fecerunt, ut dicunt, urgente eorum necessitate, ecclesie beati Martini Yprensis de quodam fundo ipsorum prioris et conventus, sito apud Ypram, extra portam que dicitur Angvarporte, a parte meridionali strate que ducit versus Zinnebeke, in parochia sancti Jacobi Yprensis, in quo usque nunc dicunt se mansisse, prout in predictis eorum litteris vidimus contineri, approbare vellemus et etiam confirmare, nos eorum supplicationibus inclinati, dictam venditionem, quantum in nobis est, laudamus, approbamus et etiam confirmamus. In cujus rei testimonium, ad preces et rogatum dictorum prioris et conventus, nos decanus sigillo nostro et nos capitulum sigillo curie Morinensis, quo utimur ista vice, presentes litteras fecimus sigillari. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, in crastino trinitatis.

Registr. Rubrum. fol. 29.

235.

Littera approbationis senescalli de Wavri, a quo dominus Johannes de Rininghels in feodum tenebat decimam sitam in Rininghels.

1264. 2 Juillet. Universis presentes litteras inspecturis Robertus de Wavri miles, senescaldus Flandrie, et Matthildis, ejus uxor, salutem in omnium Salvatore. Noverit universitas vestra, quod cum prepositus et capitulum sancti Martini Yprensis emissent quandam decimam jacentem in parochia de Rininghels pro certa pecunie quantitate, a Waltero dicto le Bareteur, quam decimam dictus Walterus tenebat in feodum a Johanne de Rininghels milite, et eandem decimam idem Johannes tenebat in feodum a nobis Matthilde predicta, ratione feodi de Meulenbeke, a quo dicta decima feodaliter descendebat, et dicti prepositus et capitulum dictam decimam recepissent tum a dicto Waltero tum a dicto Johanne domino suo, preter consensum nostrum et voluntatem videlicet Roberti et Matthildis

predictorum, nos, hiis plenius intellectis, per judicium hominum nostrorum, parium dicti Johannis de Rininghels militis, manum ad dictam decimam posuimus et eandem per aliquod tempus tenuimus. Postmodum vero, dicto milite petente et consentiente, necnon et Johanne, filio primogenito dicti Walteri, dictam decimam in manus nostras ad opus dictorum prepositi et capituli deliberante, et eandem, ut moris est, effestucante, ac etiam petente a nobis dictam decimam dictis preposito et capitulo deliberari, de proborum consilio et ad instantiam prepositi et capituli predictorum, manum nostram de dicta decima deposuimus, et dictis preposito et capitulo dictam decimam libere deliberavimus possidendam pacifice et quiete in perpetuum ab eisdem, nobis a dictis preposito et capitulo ad voluntatem nostram plenius satisfacto, et emptionem predictam, prout facta est, quantum in nobis est, approbamus ac etiam confirmamus, salva nobis omni justicia in dicta decima contra malefactores quoscunque pro quocunque maleficio seu delicto. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillis nostris duximus sigillandas. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, feria quarta post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum.

Registr. Rubrum, fol. 71 et 72 (deux copies).

236.

De muro nostro; quod superedificavit Willelmus Russe, et quod fenestras facere non debet, nisi distantia octo pedum.

1264. 21 Juillet.

Universis presentes litteras inspecturis scabini ville Yprensis salutem in Domino. Noveritis nos litteras religiosorum virorum prepositi et capituli sancti Martini Yprensis et Willelmi dicti Ruse, burgensis de Ypra, sigillatas sigillis ipsorum, integras, non abolitas, non cancellatas nec in aliqua sui parte viciatas, verbo ad verbum inspexisse sub hac forma: «Universis presentes litteras inspecturis B[alduinus], prepositus, et capitulum sancti Martini Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos Willelmo dicto Ruse, burgensi Yprensi, damus seu concedimus licentiam edificandi, supra murum nostrum circumeuntem pomerium nostrum a parte orientali, maceriam seu parietem ad opus domus quam edificat, incipientem a strata, que vocatur Dixmude strata, et finientem retro a dicto muro, ita tamen quod nec dictus Willelmus nec ejus successores in posterum fenestram aliquam poterunt facere in dicto pariete seu maceria, quin distantia octo pedum sit, ad mensuram pedum contentorum communiter in virga, que vulgaliter virga comitis nuncupatur, ab area in parte inferiori usque ad fenestram, et a solario seu quocunque modo pavimentorum sive pedum statu a parte superiori eodem modo, et sic a pedibus sive inferius sive superius prout in statione communi figuntur, debet semper in dicta maceria sive pariete usque ad fenestram quamcumque versus dictum pomerium esse distantia octo pedum. Ego vero Willelmus predictus dictum murum, prout se extendit ad dictam maceriam seu parietem cum ipsa maceria seu pariete, debeo sub expensis propriis integre, inviolabiliter cum meis successoribus, quos ad hoc specialiter

obligo, conservare, et expressa superius, prout expressa sunt, pro me et successoribus meis approbo, et eisdem consentio, et promitto ea firmiter et fideliter tam me in posterum servaturum, quam successores meos, me et ipsos ad hec specialiter obligando. In cujus rei testimonium nos predicti prepositus et capitulum et Willelmus presentes litteras duximus sigillandas. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, mense julio, in vigilia Magdalene. » Et nos conventionem habitam a parte dicti Willelmi cum dictis preposito et capitulo, tanquam ordinarii dicti Willelmi et maxime ad ipsius instantiam, approbamus, (et) obligationem dictis preposito et capitulo super premissis factam ex parte ipsius Willelmi ratam et gratam habentes faciemus tum a dicto Willelmo tum ab ejus successoribus, cum super hoc a dictis preposito et capitulo fuerimus requisiti, inviolabiliter observari. Sub testimonio presentium litterarum, quibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, mense julio, in vigilia Magdalene.

Registr. Rubrum, fol. 98.

Imprimé dans Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 372.

237.

Littera advocati Betunie, a quo senescallus decimam tenebat in feodum, quod laudat et approbat venditionem decime W. Bartierre.

1264. 27 Novemb. Universis presentes litteras inspecturis Robertus, primogenitus comitis Flandrie et marchionis Namurcensis, advocatus Attrebatensis, Bethunie et Tenremonde dominus, salutem. Noveritis me litteras viri nobilis Roberti de Wavri militis, senescaldi Flandrie, et Mathildis, ejus uxoris, sigillis suis sigillatas, vicio et suspicione carentes inspexisse in hac forma : « Universis presentes litteras inspecturis, Robertus de Wavri miles, senescallus Flandrie, et Matthildis, ejus uxor, salutem in omnium Salvatore. *(La suite comme au* n° 235.*)* Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, feria quarta post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum. » Ego etiam Robertus superius nominatus omnia et singula supradicta laudo, approbo et tanquam dicte decime dominus superior ratifico et confirmo. In cujus rei testimonium et munimen, sigillum meum duxi presentibus litteris apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quarto, feria quinta post festum beate Katherine.

Registr. Rubrum, fol. 72.

238.

Confirmatio domini pape super pace et conventione inter nos et Augustinos facta.

1265. 22 Avril. Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori provinciali et fratribus heremitis in Francia, ordinis sancti Augustini, salutem et apostolicam

benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum vos in villa Yprensi, Morinensis dyoceseos, ecclesiam, domos et officinas vobis necessarias incepissetis construere, asserentibus tandem dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie sancti Martini ejusdem ville, quod illarum constructio in ipsorum prejudicium redundabat, ac inter vos ex una parte, et dictos prepositum et capitulum ex altera, super hoc materia questionis exorta, demum de consensu dilectorum filiorum capituli Morinensis, vacante sede Morinensi, amicabilis super premissis compositio intervenit, prout in patentibus litteris inde confectis ac prepositi et capitulorum ipsorum sigillis signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem *et cetera*. Datum Perusii, X° kal. maii, anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 32.

239.

De Carmelis. Compositio quod non possunt confessiones audire nec predicare nec aliquem sepelire, nisi per nos. De medietate oblationum et duabus libris cere.

Universis presentes litteras visuris Balduinus, prepositus, et capitulum sancti Martini Yprensis, frater Dominicus, prior provincialis fratrum ordinis beate Marie de monte Carmeli in regno Francie, frater Garnerus, prior, et fratres ejusdem ordinis apud Ypram morantes salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum controversia esset inter nos hinc inde, videlicet prepositum et capitulum predictos ex una parte, et dictos priores et fratres ex altera, super eo quod nos prepositus et capitulum predicti dictos priores et fratres volentes monasterium construere infra parochias nostras Yprenses in prejudicium nostrum, contra libertates et privilegia ecclesie nostre ab apostolica sede concessa, a nostris finibus repellere nitebamur, et super hoc lis penderet inter nos hinc et inde in curia Morinensi, tandem de bonorum et jurisperitorum consilio adinvicem convenimus in hunc modum, quod nos prepositus et capitulum predicti, quantum in nobis est, concedimus dictis prioribus et fratribus, ut infra parochias nostras Yprenses monasterium construant, et jura monasterialia ibidem libere exerceant sub hac forma, ut predicti priores et fratres nullum ad confessionem admittant vel ad sepulturam, nec predicent populo infra parochias Yprenses, nisi de nostra licentia speciali; et debent dicti prior et fratres quolibet anno bis, videlicet in festis beati Martini tam estivalis quam hyemalis, 1265. 27 Avril.

unam libram cere afferre, et thezaurario ecclesie beati Martini Yprensis vel vices ejus gerenti tradere ante majus altare in presbyterio ecclesie supradicte. Concedimus etiam ipsis priori et fratribus medietatem oblationum in ecclesia dictorum prioris et fratrum ad manus sacerdotum devenientium, alia medietate a dictis priore et fratribus integraliter nobis reddenda. Oblationes vero que fient in receptionibus novitiorum et professorum suorum, ad ipsos integraliter pertinebunt. Medietatem autem legatorum sive testamentorum ipsis priori et fratribus infra parochias Yprenses in extrema voluntate decedentium de cetero reliquendorum debent nobis reddere dicti prior et fratres, in compensationem tum oblationum quas ipsis concedimus pro dimidia parte, tum juris ad quod ipsos admittimus; et debet quilibet prior in ingressu sui prioratus, prout succedent sibi adinvicem imperpetuum, predicta omnia firmiter et fideliter observare, sub juramento prestando in capitulo beati Martini Yprensis. Et nos predicti priores et fratres, Deo gratias agentes de premissis, grates, in quantum possumus, dictis preposito et capitulo referimus ampliores de gratia nobis liberaliter facta a preposito et capitulo supradictis, fideliter et firmiter promittentes nos formam expressam superius, tum de oblationibus, testamentis seu legatis, tum de confessionibus, sepulturis,. predicationibus et aliis juribus parochialibus supradictis, nos imperpetuum servaturos. Et non poterimus nos transferre infra nova fossata ville Yprensis, sine licentia prepositi et capituli sancti Martini Yprensis. Ista autem omnia debent per sedem Morinensem, per priorem ordinis nostri generalem ac etiam per dominum papam sub expensis nostris propriis confirmari, antequam infra fines parochiarum Yprensium monasterium aut oratorium vel similitudinem monasterii aut oratorii construere incipiamus. Et quia nos fratres predicti sigillum proprium non habemus, sigillis priorum nostrorum predictorum usi sumus in hac parte. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quinto, quinto kal. maii.

Registr. Rubrum, fol. 27.

240.

Confirmatio conventionum cum Augustinis a priore et diffinitoribus capituli generalis.

1265. 8 Mai. Universis ad quos presentes littere pervenerint, fratres Guido, prior generalis, et diffinitores capituli generalis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini et ipsum capitulum eternam in Domino salutem. Universitati vestre tenore presentium significamus, quod nos omnes conventiones et pacta factas et habita inter Balduinum, prepositum, et capitulum sancti Martini Yprensis, Morinensis dyoceseos, ex una parte, et fratrem Johannem de Eugubio, priorem provincialem fratrum ordinis nostri in regno Francie, fratrem Petrum priorem et fratres ordinis ejusdem apud Ypram manentes ex altera, super concessione eisdem prioribus et fratribus facta ad edificandum locum in parochia sancti Johannis

Yprensis, ad ipsam ecclesiam sancti Martini immediate spectantem, ratificamus, confirmamus et approbamus, promittentes sub ypotheca bonorum omnium loci ipsius, quod nos omnes conventiones et pacta servabimus sicut in instrumento, quod de ipsis pactis et conventionibus confectum est, continetur, cujus tenor instrumenti talis est. « *Ut supra.* (*Voir ci-dessus* n° 251.) Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo tercio, in festo beati Benedicti. » In cujus rei testimonium nos fratres Guido, prior generalis, et diffinitores capituli generalis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo quinto, in octabis apostolorum Philippi et Jacobi, celebrato apud Perusium capitulo nostro generali, pontificatus domini Clementis pape quarti anno primo.

Registr. Rubrum, fol. 30.

241.

De participatione omnium bonorum in ordine heremitarum sancti Augustini.

1265. 10 Septemb.

Viris religiosis et discretis dominis sibi in Christo karissimis B[alduino], preposito beati Martini Yprensis, ceterisque concanonicis suis, frater En. prior provincialis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini de Teutonia, cum diffinitoribus capituli provincialis, orationes in Jhesu Christo devotas et spiritualium gratiam gaudiorum. Pro beneficiis fratribus nostris apud Ypram degentibus a vobis liberaliter factis et faciendis grates omni devotione, qua possumus, referimus ampliores, et vicissitudinem, quam possumus, rependentes, plenam vobis participationem omnium bonorum, missarum, orationum, vigiliarum aliorumque laborum, que per gratiam Dei in ordine nostro fiunt, vel futuris sunt facienda temporibus, tam in vita quam in morte, benigna concedimus caritate, hoc adjicientes, quod cum obitus cujuslibet nostro fuerit presentatus capitulo provinciali, sub presentium testimonio litterarum, tantum pro quolibet fiet, quantum pro fratribus ordinis nostri facere consuevimus. Datum apud Moguntiam, anno Domini M°. CC°. LX°. quinto, feria V^a^ post nativitatem beate Marie virginis, celebrato ibidem capitulo nostro provinciali.

Registr. Rubrum, fol. 68.

242.

Littera compositionis domini prepositi et capituli sancti Martini Yprensis ex una parte, et prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini, ac etiam prioris et fratrum ejusdem ordinis apud Ypram manentium ex altera, de sepulturis et confessionibus audiendis, et aliis juribus monasterialibus ab ipsis tenendis etc.

1265. Septembre.

Universis presentes litteras visuris Balduinus, divina permissione prepositus, et capitulum beati Martini Yprensis, frater Eug. prior provincialis, diffinitores

capituli provincialis fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini in regno Alemanie, frater Petrus prior, et fratres ejusdem ordinis apud Ypram manentes salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum controversia esset inter nos hinc inde, videlicet prepositum et capitulum predictos, ex una parte, et dictos priores, diffinitores et fratres, ex altera, super eo quod nos, prepositus et capitulum predicti, dictos priores et fratres volentes monasterium construere infra parochias Yprenses, in prejudicium nostrum, contra libertates et privilegia ecclesie nostre ab apostolica sede concessa, a nostris finibus repellere nitebamur, et super hoc diutius lis penderet inter nos hinc inde coram judicibus delegatis, tandem de bonorum et jurisperitorum consilio amicabiliter composuimus adinvicem in hunc modum, quod nos, prepositus et capitulum predicti, quantum in nobis est, concedimus dictis prioribus et fratribus, ut infra parochias nostras Yprenses monasterium construant, et jura monasterialia ibidem libere exerceant sub hac forma, ut predicti priores et fratres nullum de parochianis nostris ad confessionem admittant vel ad sepulturam, nec predicent infra parochias Yprenses, nisi de nostra licentia speciali. Et debent prior et fratres infra parochias Yprenses manentes, in festo beati Martini tam estivalis quam hyemalis, ad processionem venire celebrandam in dictis festis, cum cereo unius libre ante majus altare ecclesie nostre beati Martini, a priore, qui apud Ypram pro tempore erit, publice offerendo. Concedimus etiam ipsis priori et fratribus medietatem oblationum in ecclesia dictorum prioris et fratrum ad manus sacerdotum devenientium, alia medietate a predictis priore et fratribus integraliter nobis reddenda. Et nos predicti prior et fratres concedimus voluntarie dictis preposito et capitulo medietatem legatorum seu testamentorum infra parochias Yprenses nobis relictorum seu relinquendorum, in compensationem oblationum et aliorum beneficiorum corporalium sive temporalium nobis a dictis preposito et capitulo concessorum. Et debet quilibet prior fratrum ordinis nostri apud Ypram manentium in ingressu sui prioratus, prout succedent sibi adinvicem imperpetuum, premissa omnia firmiter et fideliter observare, sub juramento prestando in capitulo beati Martini Yprensis. Insuper nos predicti priores et fratres, Deo gratias agentes de premissis, grates, in quantum possumus, dictis preposito et capitulo referimus ampliores, de gratia nobis liberaliter facta a preposito et capitulo supradictis, firmiter et fideliter promitentes nos formam premissam superius, tum de oblationibus, testamentis seu legatis, tum de confessionibus, sepulturis, predicationibus et aliis juribus supradictis imperpetuum servaturos. Acceptamus etiam nos predicti priores et fratres locum, quem viri religiosi domini Jacobus Coudenesa, Willermus dictus Fullo et Nicholaus dictus Wiliemeir, presbiteri et canonici sancti Martini Yprensis, hinc inde ad hoc electi communiter in parochia sancti Johannis Yprensis nobis ad opus monasterii assignarunt. In cujus rei testimonium, nos prepositus et capitulum, priores et fratres predicti sigilla nostra duximus presentibus litteris apponenda. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense septembri.

Registr. Nigrum, fol. 45.

243.

Recognitio de lxv. libris et de xxv. libris prestitis supra decimam Lamberti de Rosebeke.

Universis presentes litteras visuris et audituris officialis sedis Morinensis vacantis salutem in Domino. Noveritis quod cum dominus Lambertus de Rosebeka miles, jam pridem biennio et amplius elapso, obligasse se recognoverit coram officiali Morinensi tunc temporis ecclesie beati Martini Yprensis decimam suam sitam in parochia de Longhemarc, Morinensis dyoceseos, de consensu patroni ipsius loci, quam tenet in feodum ab illustri domina M[argareta], Flandrie comitissa, pro sexaginta et quinque libris parisiensibus sibi ex parte ipsius ecclesie numeratis et solutis, tenendam et possidendam ab ipsa ecclesia, fructusque et proventus exinde percipiendos pacifice et quiete per decem extunc annos continuos subsequendos, sub certis conventionibus, conditionibus ac modis in contractu ipsius obligationis appositis a partibus et acceptatis, prout hec omnia in litteris curie Morinensis super hoc confectis continentur, nuper idem Lambertus miles, in presentia nostra propter hoc constitutus, recognovit se adhuc mutuo recepisse ex parte ipsius ecclesie viginti quinque libras parisienses in pecunia numerata, et in cumulum et augmentum obligationis prioris predicte sexaginta quinque libras parisienses, se eandem decimam ipsi ecclesie pro predictis viginti quinque libris una cum pretaxatis sexaginta quinque libris sub titulo pignoris obligasse tenendam et possidendam ab ipsa ecclesia fructusque ex ea percipiendos usque in decennium antedictum et conventum, et sub eisdem modis, conventionibus et conditionibus et aliis articulis appositis et conventis in prima obligatione predicta, prout hec in litteris curie Morinensis super ipsa prima obligatione confectis plenius continentur; hoc acto et convento inter partes et ab ipso milite approbato, quod si quando ipsum militem contigerit velle redimere ipsam decimam ab ecclesia memorata, vel per integram satisfactionem, aut per particulares solutiones, primitus de predictis pecuniarum summis deduci debent et discomputari viginti quinque libre nunc ultimo numerate, ita quod pro residuo quocumque sortis obligatorie ipsa decima, usque ad solutionem plenam et perfectam ejusdem sortis, remaneat ipsi ecclesie obligata, sub conditionibus, obligationibus, conventionibus et modis ac aliis articulis quibuscumque predictis ipsi ecclesie salvis et etiam reservatis. Et quantum ad hec renuntiavit dictus miles exceptioni doli mali, exceptioni non numerate pecunie et omnibus aliis quibuscumque actionibus, defensionibus sibi contra hec competentibus infuturum, supponens se quantum ad hec idem miles jurisdictioni curie Morinensis. Et in testimonium premissorum, ad instantiam et preces dicti militis, presentes litteras fecimus sigillo curie Morinensis sigillari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense septembri. 1265. Septembre.

Registr. Rubrum, fol. 42.

244.

Confirmatio domini pape de Carmelis.

1266. 2 Juin. Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus ordinis beate Marie de monte Carmeli Yprensis, Morinensis dyoceseos, salutem et apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod inter vos ex parte una, et prepositum et capitulum ecclesie beati Martini de Ypra, Morinensis dyoceseos, ex altera, super eo quod ipsi prepositus et capitulum asserebant, quod vos monasterium quoddam infra limites parochie ipsius ecclesie in eorum prejudicium construere nitebamini, materia questionis exorta, tandem, bonis viris mediantibus, super hoc amicabilis inter partes ipsas compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ratam habentes et firmam, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire ; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, IIII°. nonas junii, pontificatus nostri anno secundo.

Registr. Rubrum, fol. 28.

Mentionné dans Sanderus, *Flandria illustrata*, t. I, p. 371 (éd. 1641).

245.

Confirmatio prioris generalis Carmelorum super premissis.

Datum per copiam sub sigillo curie Morinensis auctoritate apostolica anno Domini M°. CCC°. LXXX°. tercio, feria quinta post festum beati Vincentii (1).

1266. Août. Universis presentes litteras visuris frater Nicholaus, prior generalis fratrum ordinis beate Marie de monte Carmeli, salutem in Domino. Universitati vestre tenore presentium significamus, quod nos compositionem factam et habitam inter venerabiles viros prepositum et conventum sancti Martini Yprensis, Morinensis dyoceseos, ex una parte, et fratrem Dominicum, priorem provincialem fratrum ordinis nostri in regno Francie, fratrem Garnerum, priorem, et fratres ejusdem

(1) Ceci ne se trouve que dans le *Regist. Nigrum*, et la copie est signée BRUNIG.

ordinis apud Ypram morantes ex altera, et omnia ac etiam singula in eadem compositione contenta ratificamus, confirmamus et approbamus, promittentes, sub ypoteca omnium bonorum loci ipsius, quod nos et successores nostri imperpetuum dictam compositionem et omnia ac etiam singula contenta in eadem inviolabiliter observabimus, sicut in instrumento super hiis confecto plenius continetur. Cujus instrumenti tenor talis est in principio: « Universis presentes litteras visuris Balduinus prepositus, et capitulum beati Martini Yprensis, frater Dominicus, prior provincialis fratrum ordinis beate Marie de monte Carmeli in regno Francie, frater Garnerus prior, et fratres ejusdem ordinis apud Ypram morantes salutem in Domino *et cetera*. *Et versus finem est tenor talis :* Et non poterimus nos transferre de loco in quo nunc sumus morantes, sine licentia prepositi et capituli sancti Martini Yprensis. Ista autem omnia debent per sedem Morinensem, per priorem ordinis nostri generalem ac etiam per dominum papam de verbo ad verbum sub expensis nostris propriis confirmari, antequam] infra fines parochiarum Yprensium monasterium aut oratorium vel similitudinem monasterii aut oratorii construere incipiamus. Et quia nos fratres predicti sigillum proprium non habemus, sigillis priorum nostrorum predictorum usi sumus in hac parte. Datum anno Domini M°. CC°. LX°. quinto, mense februario. (1) » In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo sexto, mense augusto.

Registr. Rubrum, fol. 27, et *Registr. Nigrum*, fol. 87.

Indiqué dans Sanderus, *Flandria illustrata*, t. I, p. 371 (édit. 1641).

246.

Confirmatio decani et capituli Morinensis de Carmelis.

Datum per copiam sub sigillo curie Morinensis auctoritate apostolica anno Domini M°. CCC°. LXX°. tercio, feria quinta post festum beati Vincentii (2).

Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum ecclesie Morinensis in Domino salutem. Cum ea que judicio vel concordia terminantur, firma debeant et illibata consistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, salubri convenit presidio communiri, petitioni religiosorum virorum prioris et fratrum ordinis beate Marie de monte Carmeli Yprensis et prepositi et capituli ecclesie beati Martini Yprensis nobis exhibite, que continebat, quod inter priorem et fratres de monte Carmeli ex una parte, et prepositum et capitulum ecclesie beati Martini de Ypra, Morinensis dyoceseos, ex altera, super eo quod ipsi prepositus et capitulum asserebant, quod ipsi prior et fratres monasterium quoddam infra limites parochie ipsius ecclesie in eorumdem prepositi et capituli prejudicium 1266. 2 Septemb.

(1) Est-ce la même charte qu'au n° 239 ci-dessus, et faut-il supposer ici dans la copie une erreur de date ?

(2) Même observation que pour la pièce précédente.

construere nitebantur, materia questionis esset exorta, tandem, bonis viris mediantibus, super hoc amicabilis inter partes ipsas compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, nos supplicationibus predictorum prioris et fratrum, et prepositi et capituli beati Martini Yprensis inclinati, compositionem inter eos initam, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ratam habemus et firmam, et eam auctoritate sedis Morinensis vacantis, prout juste possumus, confirmamus et sigillorum nostrorum patrocinio communimus. Actum et datum anno Domini M°. ducentesimo sexagesimo sexto, mense septembri, feria quinta post decollationem beati Johannis Baptiste.

Registr. Rubrum, fol. 28, et *Registr. Nigrum*, fol. 87.

Cf. Sanderus, *Flandria illustrata*, t. I, p. 371 (éd. 1641).

247.

Confirmatio domini pape de compositione cum illis de Rosendale.

1266. Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyochesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod orta dudum inter vos ex parte una, et dilectas in Christo filias abbatissam et conventum monasterii de Rosendale juxta Ypram, ordinis sancti Damiani (1), ex altera, super eo quod eedem ipsum monasterium in dicto loco de Rosendale infra parochiam ecclesie sancti Johannis de Ypra ad vos pleno jure spectantis situm construebant in vestrum prejudicium, materia questionis, tandem mediantibus bonis viris amicabilis super hoc inter partes compositio intervenit, quam petiistis apostolico munimine roborari. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, gratam et ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum . . . . . pontificatus nostri anno secundo.

Registr. Rubrum, fol. 40.

---

(1) On lit en marge, d'une écriture moins ancienne : *Ordinis Cysterciensis*, avec renvoi à notre charte n° 259. Une autre main a mis en dessous : *Non. Nunc est Wezekene.* Un troisième a biffé cette dernière note, et a écrit à son tour : *Delet dicere Ipris, sanctae Clarae.*

248.

De duabus mensuris terre et dimidia cum xl. virgis juxta curtem L. Bardonc. Item de dimidia mensura terre juxta Magdalenam.

Universis presentes litteras inspecturis G. de sancto Audomaro, legum professor, officialis et canonicus Morinensis, salutem in Domino. Noveritis quod Margareta, relicta Willelmi Scoppers vidua, in etate decrepita constituta, considerans quod pretextu debilitatis et senilis etatis non potest sibi commode in necessariis providere, tum in elemosinis, tum pro victu suo habendo, contulit coram nobis et donavit et se dedisse et contulisse recognovit ecclesie sancti Martini Yprensis duas mensuras et dimidiam et quadraginta virgas terre sue, sitas in una pecia in parochia sancti Johannis Yprensis, juxta terram et curtem Lamberti Bardonc, et dimidiam mensuram terre sitam in eadem parochia in alia pecia, non longe a capella beate Marie Magdalene, ab ipsa ecclesia hereditatis jure perpetuo libere possidendas et tenendas, mediantibus tribus solidis et sex denariis paris. et octo panibus albis de prebenda dicte ecclesie qualibet septimana sibi, quamdiu vitam et animam habebit in corpore, a preposito et conventu dicte ecclesie persolvendis et tradendis pro victu et sustentatione ipsius Margarete ; promittens eadem Margareta, fide prestita corporali ac interposito juramento, quod contra hujusmodi donationem et collationem non veniet per se aut per alium in futurum, nec quicquam juris in dictis terris aliquatenus reclamabit, nec ipsam ecclesiam eorum occasione aliquatenus de cetero molestabit, dum tamen sibi solvant et tradant competenter, quamdiu vixerit, tres solidos et dimidiam partem et dictos octo panes qualibet septimana; renuntians, quantum ad premissa, exceptioni doli mali, fori, privilegio crucis assumpte et assumende, omnis auxilio juris canonici et civilis, omnibus litteris apostolicis et aliis impetratis et impetrandis et omnibus aliis, que sibi aut suis heredibus contra premissa prodesse possent et obesse dicte ecclesie in premissis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, feria quarta ante festum beati Petri ad cathedram.

1266-67. 16 Février.

Registr. Rubrum, fol. 50, et *Registr. Novum*, fol. 54.

249.

Littera quod parochie de Rininghelst, Tetinghem, Lefferinhouc, Boesinghe, Zuudscote et de Calona non possunt dari sine consensu presbyterorum capituli sancti Martini Yprensis.

Universis presentes litteras visuris Walterus, Dei gratia prepositus ecclesie sancti Martini Yprensis, salutem in Domino. Universitati vestre notum fieri volumus, quod nos tam propter virtutem privilegiorum ecclesie nostre sancti

1267. 15 Octobre.

Martini Yprensis concessorum, quam propter consuetudinem a longe retroactis temporibus observatam hactenus et prescriptam, ob omnem discordie vel litium occasionem imposterum amovendam, recognovimus ac etiam recognoscimus nos non habere jus aliquod conferendi parochias de Rininghelst, de Tetinghem, de Leffringhouc, de Boesinghe, de Zutscotes et de Calona, sine consilio et consensu presbyterorum capituli nostri. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro proprio dedimus sigillatas. Datum et actum anno Domini M°. CC°. sexagesimo septimo, sabbato post festum beati Dyonisii.

Registr. Rubrum, fol. 68 et fol. 128. (Deux copies.)

250.

Quod circa ortum solis vel post primam cantabitur Beghinis. Quod si per duos dies continuos non celebraverit presbyter in capella Beghinarum, tunc supplebitur.

1267. Décembre. Universis presentes litteras visuris Walterus, divina permissione prepositus, et conventus sancti Martini Yprensis salutem in eo qui est salus omnium et protector. Universitati vestre tenore presentium volumus esse notum, quod cum Beghine de Brielo Yprensi volentes sibi materiam evagandi subtrahere, ut incluse possent liberius divinis intendere et secularium consortia effugere, a nobis humiliter petierint, ut infra clausuram propriam in parochia nostra de Brielo Yprensi ipsis liceret habere presbyterum, qui ipsis divina, qualibet die, prout tempori congrueret, ministraret, nos, animarum periculo volentes occurrere et earum saluti summo desiderio providere, eis concessimus et concedimus, quantum in nobis est, quod habeant infra clausuram propriam ecclesiam et presbyterum, quem ibi mittemus canonicum de gremio ecclesie nostre celebraturum divina quotidie, nisi cum legitime fuerit excusatus; cujus defectum tunc faciemus suppleri, si per duos dies continuos fuerit. Et debet dictus presbyter missam cum nota diebus dominicis et festivis post horam primam cantare; ceteris vero diebus, a die exaltationis sancte crucis usque ad pascha, in aurora diei; a pascha vero usque ad exaltationem sancte crucis, circa ortum solis, matutinis vero et vesperis diebus dominicis et festivis cum nota cantandis. Dicte vero Beghine ad opus sustentationis presbyteri, qui ipsis divinum officium celebrabit, promiserunt sollempniter nobis se daturas viginti quinque libras Flandrenses annuas: videlicet in festo beati Remigii in capite octobris, duodecim libras et x. solidos predicte monete, et in medio martio duodecim libras et decem solidos ejusdem monete, donec nobis ad opus sustentationis predicte dederint seu contulerint redditus certos, usque ad viginti quinque libras pretaxatas monete predicte, sive simul in uno loco sive in diversis locis, non tamen minus in uno loco viginti solidis monete predicte. Ad predicta autem plenissime conservanda et adimplenda, nos dicte Beghine obligamus omnia bona illa, que contulit nobis Nicholaus dictus Mont, burgensis Yprensis, et omnia alia bona nostra mobilia et immobilia presentia et futura. Et debemus providere dicto presbytero de custode, ornamentis, libris, luminaribus, vestimentis

et ceteris necessariis ecclesie supradicte. Nos etiam Beghine predicte premissa, prout superius sunt expressa, promittimus nos fideliter et firmiter servaturas et efficaciter impleturas. In cujus rei testimonium presentibus litteris nos prepositus, conventus et Beghine predicti sigilla nostra duximus apponenda. Datum et actum anno Domini M°. CC°. sexagesimo septimo, mense decembri.

Registr. Rubrum, fol. 12.

251.

Nota quod domina comitissa approbat quod xxv. libras annuatim promiserunt Beghine nobis solvere.

Margareta, Flandrie ac Hainonie comitissa, universis presentes litteras visuris salutem in Domino. Cum viri religiosi, prepositus et conventus sancti Martini Yprensis, propter Deum ac etiam propter nos et preces nostras, Beghinis in Brielo Yprensi manentibus concesserint, ut infra clausuram propriam ecclesiam habeant in parochia ipsorum prepositi et conventus de Brielo, et presbyterum celebraturum eisdem divinum officium secundum congruitatem temporis, prout in litteris super hoc confectis, sigillis dictorum prepositi et conventus ac etiam Beghinarum predictarum sigillatis, hec vidimus contineri, et dicte Beghine eisdem preposito et conventui ad opus sustentationis presbyteri commemorati sollempniter promiserint in nostra presentia se daturas et soluturas viginti quinque libras Flandrensis monete annuas, donec eisdem preposito et conventui dederint, tradiderint et deliberaverint bene et legitime terras et loca seu certos redditus usque ad valorem viginti quinque librarum monete predicte, sive simul sive in diversis locis, non tamen minus viginti solidis in uno loco, et ad premissa firmiter adimplenda, obligaverint se et sua [bona] mobilia et immobilia, presentia et futura et specialiter terras et redditus dictis Beghinis in elemosynam concessos a Nicholao dicto Mont seniore, nos premissa omnia, prout superius sunt expressa, rata et grata habentes, et etiam tanquam terre domina approbantes, injungimus et precipimus ballivis nostris Yprensibus, qui pro tempore erunt, ut vice nostra ac heredum nostrorum, videlicet comitum Flandrie, in premissis assistant preposito et conventui supradictis, et Beghinas predictas, si in aliquo seu aliquibus de premissis defecerint, compellant ut ea integraliter ac firmiter, prout promiserunt, observent; et si necesse fuerit, dictarum Beghinarum pignora capiantur per ballivos predictos, usque ad quantitatem defectus; quibus tenore presentium damus super hoc speciale mandatum. Datum et actum anno Domini millesimo CC°. sexagesimo septimo, mense januario.

1267-68. Janvier.

Registr. Rubrum, fol. 12.

Voir à ce sujet Sanderus, *Flandria illustrata*, 1re édit. t. I. p. 281.

252.

Nota quod si rivus de Kemle cessaret et ad statum pristinum reduci contingeret, terra nostra, scilicet Libertas sancti Martini, ad nos rediret,

1269. 9 Juin. Universis presentes litteras inspecturis scabini et communitas ville Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum nos, propter publicam utilitatem tocius ville Yprensis, deliberato consilio, religiosorum et venerabilium virorum domini W[alteri], prepositi, et conventus sancti Martini Yprensis accedente consensu, sex mensuras, unam linam et undecim virgas terre ipsorum jacentis in parochiis sancti Nicholai Yprensis et de Flamertinges, vocate communiter Libertas sancti Martini Yprensis, ad opus rivi, qui vulgaliter vocatur Kemle, occupaverimus, nos dictis preposito et conventui, pro dictis sex mensuris, (una) lina et undecim virgis, solvimus centum viginti et septem libras et octo solidos Flandrensis monete in pecunia numerata, hoc notato, quod si, dicto rivo cessante, dictam rivam ad pristinum statum reduci contigerit, dicta terra ad jus et proprietatem dicte ecclesie debebit redire, predictis centum viginti et septem libris et octo solidis prius a dictis preposito et conventu penitus persolutis, libertate etiam quam hucusque in dicta terra habuerunt et habent in omnibus eis salva. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, dominica ante Barnabe apostoli, mense junio.

Registr. Rubrum, fol. 97.

Aux archives de la ville d'Ypres : lettres originales de même date et de même teneur délivrées par le prévôt Walter et le chapitre de Saint-Martin, et munies de leurs sceaux avec contre-scels. Voir l'analyse dans Diegerick, *Inventaire des chartes*, t. I, p. 96.

253.

Littera venditionis c. mensurarum terre in broco de Markem.

1269. 25 Août. Jou Ustassies chevaliers, camberlens de Flandres, sire de Audenbourgh et de Merkem, fach à savoir à tous, ke je ai vendu bien et loiaument à mes boens amis en nostre Sengnour le provost et le convent de saint Martin d'Ipre cent mesures de me terre, ki gist entre le Crombedic et le Mideldic, en le parroche de Merkem, à commencier au cor vers septemtrion et alant miedi, et se les cent mesures n'estoient mie toutes là dedens, il doivent prendre ce qu'il en fauroit, vers le haute terre au leis devers miedi, tant qu'il en aient cent mesures plainement dedens les Crombedic, et le disme ausi ke je avoie sour celi tere, c'est à savoir les deus parties de toute le disme ke cele terre doit, dont li tierce partie demeure au prestrage, pour noef cens sisante et quinze livres de le monoie de Flandres, qu'il en ont paié à mi et à men certain commant en boene monoie

et bien contée. Et pour ce vendage faire bien et à loi, je viench par devant me trechiere dame Margherite, contesse de Flandres et de Haynau, et par devant ses homes mes peirs, et moustrai par devant eaus men besoign et me povertei si parant ke, quant il l'orent entendue et conute, il disent par jugement, se jou ne fasoie ce markiet, k'il me convenroit pis faire. Et seur ce, par leur ensegnement, ces cent mesures de terre devant dites et le disme ke je i avoie, je les reportai en le main me chiere dame le contesse devant dite, de cui je les tenoie en fief, et les werpi bien et à loi par le jugement de ses homes mes peirs devant dis. Et quant je les och raportées en se main et werpies, si comme dit est, à oes le provost et le convent devant dis, me chiere dame li contesse devant dite les osta et assolst et descharia de tout service de fief, et les converti en iretage et en terre censeil, par mi un denier de le monoie de Flandres, ke li devant dit provos et convens en paieront et feront paier à mi et à mes hoirs pour chascune mesure de celi terre, chascun an à le saint Remi. Et ceste rente a me chiere dame li contesse devant dite, à le priiere d'aucuns de mes amis, otriié à mi et à mes hoirs. Ne autre service ne autre cens u rente jou ne mes hoirs ne autre de par nous ne porrons jamais demander en celi terre, ne relief nul, fors ke le justice. Et par tel maniere et par teil devise ki dites sunt, me dame li contesse devant dite, à me priiere et à me requeste envesti et mist en tenure et en possession corporel des cent mesures de terre et de le disme devant dites le provost et le convent de saint Martin devant dis, ou nom de lor eglise. Et pour ce ke je voel ke cis vendages et ceste convenence soient bien et fermement tenues de mi, de mes hoirs et de mes successeurs à tous jours, je pri et requier me treshaute et treschiere dame le contesse devant dite et men chier seigneur sen fil Guion, conte de Flandres et marchis de Namur, ke il ce vendage et ceste convenence, tout ensi comme il sunt deseure escrit et devisei, voellent loer et greer et confermer par lor lettres, et destraindre mi, mes hoirs et mes successeurs au faire tenir fermement et entirement tout ensi com deseure est escrit et devisei, s'il avenoit, ke jà n'avienge, ke jou alaisse encontre en tout ne en partie ne par mi ne par autrui. En tesmoignage et en seurtei de le quel chose, j'ai donnei ces presentes lettres as devant dis provost et convent seelées de men seel, ki furent dounés en l'an del incarnation nostre segneur Jhesu Crist mil deus cens sissante et noef, l'endemain dou jour saint Bertremiu.

Registr. Rubrum, fol. 77.

254.

Littera promissionis quod filium primogenitum hoc faciet laudare. Item de fidejussoribus super hoc datis.

Jou Eustassies chevaliers, camberlens de Flandres, sire de Audembourgh et de Merkem, fach à savoir à tous ke j'ai en couvent à mes boens amis le provost 1269. 26 Août.

et le convent de saint Martin d'Ipre ke dedens le demi an après ce ke Jehans, mes ainsneis fius ara sen aage, u li uns de ses freires u de ses sereurs ki mes hoirs sera, se de Jehan defaillait ains qu'il l'eust, je doi faire celui d'eaus ki adont vivera, metre son assens et main et bouche au werp faire à loi de cent mesures de terre et de le disme ke j'ai venduues en le paroche de Merkem au provost et au convent devant dis, ensi comme il est plus plainement contenu en mes autres lettres qu'il ont de mi, ki de ce vendage sunt faites, et l'en doi faire doner ses lettres au provost et au convent devant dis qu'il jamais n'ira contre cel vendage ne par lui ne par autrui. Et de ce à faire ai je donnei pleges as devant dis provost et convent Jehan de Zoutenai chevalier, Willaume de Curteweise, Baudewin Snouc et Wautier Zanekin, les queus j'en ai promis et promet à acuiter et degeter sans damage jukes à lor plain dit. En tesmoignage et en seurtei de le quele chose jou ai dounei ces presentes lettres seelées de men seel, ki furent dounés en l'an del incarnation nostre segneur Jhesu Crist mil deus cens sissante et noef, le lundi après le jour saint Bertremiu.

Registr. Rubrum, fol. 78.

255.

Littera consensus domini senescalli Flandrie super venditione et emptione c. mensurarum in broko de Markem.

1269. 26 Août. Jou Robers de Waverin, senescaus de Flandres, fach à savoir à tous ke le vendage ke mes chiers serourges Eustacies chevaliers, camberlens de Flandres, a fait à preudoumes religieus le provost et le convent de saint Martin d'Ipre, de cent mesures de terre gisans entre le Crombedic et le Mideldic, en le parroche de Merkem, et de le disme qu'il avoit seur cele meime terre, il l'a fait par loi et par le jugement des homes me treschiere dame Margherite, contesse de Flandres et de Haynau, ses peirs, dont je fui uns presens au jugement dire, et fu fait par ma volentei et par men assens. En tesmoignage de le quel chose je ai donnei ces presentes lettres au provost et au convent de saint Martin d'Ipre seelées de men seel, ki furent dounées en l'an del incarnation M. CC. LX. noef, le lundi après le jour saint Bertremiu.

Registr. Rubrum, fol. 79.

256.

Confirmatio domine comitisse super premissis et confirmatio Guidonis comitis.

1269. 26 Août. Nous Margherite, contesse de Flandres et de Haynau, et je Guis ses fieus, cuens de Flandres et marchis de Namur, faisons à savoir à tous ke nous avons veiies et oïes les lettres notre chier foiable Eustacies chevalier, camberlenc de Flandres, seelées de son seel, saines et entires en cheste fourme : « Jou Eus-

tacies chevaliers, camberlens » *de mot à mot si com deseure et puis s'ensiut*: Et nous Margherite, contesse deseure nommée, à la priiere et à la requeste notre chier foiable le camberlenc de Flandres devant dit, le vendage et les couvenences devant escrites, ki faites furent par nous et par nous homes ses peirs bien et à loi, tout ensi comme eles sunt deseure escrites et devisées, loons et greons et confermons et les ferons tenir comme dame de la terre. En tesmoignage et en seurtei de la quel chose, nous avons fait metre notre seel à ces presentes lettres. Et je Guis, fius à la noble contesse devant dite, cuens de Flandres et marchis de Namur, à le priiere et à le requeste dou camberlenc devant dit, ce vendage et ces couvenences, tout ensi comme eles sunt deseure escrites et devisées, lo et grée et approeve, et les ferai tenir de mi et de mes hoirs, segneurs de Flandres, perpetuement. En tesmoignage et en seurtei de la quel chose j'ai fait metre men seel à ces presentes lettres, ki furent dounés en l'an del incarnation notre segneur Jhesu Crist mil deus cens soissante et noef, le lundi après le jour saint Bertremiu l'apostole.

Registr. Rubrum, fol. 79.

257.

Confirmatio etiam domini legati de premissis.

Radulphus, miseratione divina episcopus Albanensis, apostolice sedis legatus, religiosis viris preposito et conventui ecclesie sancti Martini Iprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis diocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, terras et possessiones, quas habetis in loco qui dicitur brocus de Merckem, Morinensis diocesis, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis qua fungimur auctoritate confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Nuchariam, II° idus septembris, anno Domini M°. CC°. LX°. nono. 1269. 12 Septemb.

Registr. Rubrum, fol. 79.

258.

De fundatione misse in hospitali a Petro Broederlam et ejus uxore.

Universis presentes litteras inspecturis Walterus, permissione divina prepositus sancti Martini Yprensis, totusque conventus ejusdem loci salutem in Domino. Cum 1269-70. Janvier.

dilecti nostri Petrus dictus Broederlam et Beatrix, ejus uxor, burgenses Yprenses, contulerint, tradiderint et deliberaverint nobis in broco de Merkem, in loco qui est inter Crommedicke et Middeldike, viginti libras annui redditus ad opus cujusdam misse in hospitali in foro Yprensi cotidie in perpetuum, a tempore paschali usque ad festum beati Bavonis ad primam campanulam, que pulsari solet apud dictum Martinum ante missam beate Virginis, a festo vero beati Bavonis usque ad pascha ad secundam campanulam celebrande, pro sustentatione capellani dictam missam celebraturi, ad quam missam presbyter monebit populum pro dicto Petro et Beatrice, ejus uxore, fundatoribus ipsius misse dicere cotidie *Pater noster*, que quidem missa ante aliam missam consuetam semper dicetur, ita quod ad celebrationem alterius misse que post primam beati Martini hactenus in dicto hospitali consuevit cantari, eque primitus simus obligati, nos eorum pio voto et desiderio annuentes providere tenemur predicto Petro et ejus uxori ad opus dicte misse de presbytero, qui cotidie in predicto hospitali, nisi infirmitate detentus fuerit, dummodo sequenti die et deinceps provideatur de alio presbytero, ita tamen ut ultra unam diem non cessetur a celebratione misse predicte, in perpetuum divina pro predicto Petro et Beatrice ejus uxore celebrare debebit ad horas predictas. Qui presbyter, dum ei provisum fuerit de loco competenti, apud dictum hospitale qualibet nocte dormiet, et quotienscunque requisitus fuerit, de nocte infirmos visitabit, auditurus confessiones eorum et collaturus eisdem, prout requisitus fuerit, eucharistie sacramentum, ac etiam si necesse fuerit, extremam unctionem. Que ut rata et firma permaneant, presentem paginam munimine sigillorum nostrorum duximus roborandam. Datum anno Domini M°. CC°. LXIX°. mense januario.

Registr. Rubrum, fol. 147, et *Registr. Nigrum*, fol. 21 (mention en flamand).

Aux archives de la ville d'Ypres: original sur parchemin avec les sceaux et contre-scels du prévôt et du chapitre.

Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 101 (analyse).

259.

De Hemelsdale. Quomodo et in quos fuit compromissum et sub qua pena.

1270. 18 Avril. Universis presentes litteras inspecturis soror Maria, dicta abbatissa de Heimelsdale juxta Ypram, Cysterciensis ordinis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Noveritis quod cum dilecti nostri in Christo viri religiosi Walterus, prepositus sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, totusque ejusdem loci conventus, eo quod infra limites patronatus eorum volebamus nos transferre, recompensationem oblationum et dampnorum, que vere poterunt dampna dici, quas et que occasione adventus nostri amittere et incurrere possent imposterum, sibi a nobis instanter fieri peterent, tandem prepositus et conventus predicti ex parte una, et nos ex altera, in viros venerabiles et

discretos dominum Petrum de Harlebeke, archydiaconum Tornacensem, magistrum Walterum de Furnis, ecclesiarum Montensium prepositum, et magistrum Willermum dictum Peinart, canonicum sancti Martini Yprensis, compromisimus de predictis; ita quod dicti arbitri certam pensionem dictis preposito et conventui assignare debent sibi a nobis annuatim solvendam, prout ipsis arbitris conveniens visum fuerit atque equum. Et nos, quicquid dicti arbitri super premissis ordinaverint et dixerint, sub pena centum marcharum sterlingorum nos pro nobis et nostris successoribus promittimus inviolabiliter observare. Qua pena commissa et soluta a parte resiliente ab arbitrio parti observanti arbitrium, nichilominus prolatum arbitrium in suo robore permanebit. In cujus rei testimonium et firmitatem perpetuam presentes litteras fecimus nostro sigillo roborari. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo decimo, feria sexta post diem pasche.

Registr. Rubrum, fol. 36 et fol. 37 (deux copies).

260.

Sententia illorum arbitrorum, et de xvj. libris redditus ibidem annuis.

1270. 18 Avril.

Universis presentes litteras inspecturis Petrus de Harlebeka, archydiaconus Tornacensis, Walterus de Furnis, ecclesiarum Montensium prepositus, et Willelmus dictus Peinart, canonicus sancti Martini Yprensis, salutem in Domino. Noveritis presentes litteras religiosarum Marie, abbatisse de Heimelsdale juxta Ypram, Cysterciensis ordinis, totusque ejusdem loci conventus recepisse in hec verba : « Universis etc. (*suit la charte* n° 159). » Nos autem onere dicti compromissi ad instantiam partium in nos suscepto, dictum nostrum arbitrando seu ordinando protulimus in hunc modum : Pro bono pacis nos Petrus, archidyaconus Tornacensis, Walterus, Montensis prepositus, et Willermus dictus Peinart, canonicus sancti Martini Yprensis, arbitri electi super contentis in compromisso in nos facto ex parte W[alteri], prepositi, et conventus sancti Martini Yprensis ex una parte, abbatissam et conventum de Heimelsdale ex altera, arbitrando seu ordinando dictum nostrum proferimus in hunc modum, videlicet quod dicta abbatissa et conventus, pro recompensatione facienda ecclesie Yprensi super oblationibus que fient in ecclesia earumdem de cetero, legatis, elemosinis ac terris a domina comitissa pro monasterio earum fundando eis collatis jam inclusis vel includendis et super aliis omnibus dampnis, que per ipsarum adventum ecclesia Yprensis sustinere posset vel poterit infuturum, sedecim libras Flandrensis monete solvere tenebuntur, vel assignamentum alibi facere sufficiens ad certos redditus vel proventus annis singulis, medietatem scilicet in natali Domini, et aliam medietatem in pentecoste sequenti, Yprensi ecclesie supradicte, salvo in omnibus dicte ecclesie Yprensis jure parochiali, quantum ad illos qui in loco dictarum abbatisse et conventus suam elegerint sepulturam, et quantum ad earum familias, et servientes, qui ibidem non sub regulari habitu famulantur. Et dicte abbatissa et conventus ejus

litteras prioris sui abbatis, infra proximum festum omnium sanctorum, super ratificatione et confirmatione presentis dicti nostri tenebuntur deliberare Yprensi ecclesie supradicte, ac litteras domine comitisse Flandrie et Hanonie tanquam domine temporalis. Nos etiam dictum nostrum seu ordinationem predictam protulimus in presentia dicte domine comitisse et aliorum fidè dignorum ac etiam partium predictarum, que post prolationem nostram, dictum nostrum seu ordinationem predictam ratificaverunt et approbaverunt expresse. In cujus rei testimonium, ego Petrus archydyaconus, ego Walterus prepositus Montensis predicti, presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Et ego Willermus dictus Peinart supradictus, quia sigillum non habeo, sigillo magistri Alardi, socii et concanonici mei, usus sum in hac parte. Et ego Walterus, prepositus sancti Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus, ego Maria, dicta abbatissa de Hemelsdale juxta Ypram, totusque ejusdem loci conventus, qui predicto dicto sive ordinationi consensimus et ipsa ratificavimus, sicut dictum est, presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo decimo, feria sexta post diem pasche.

Registr. Rubrum, fol. 36.

261.

Confirmatio sententie arbitralis inter nos et illas de Hemelsdale.

1270. Mai. Universis presentes litteras inspecturis, frater Ph. abbas Clarevallensis, Cysterciensis ordinis, salutem in omnium Salvatore. Noveritis nos vidisse et diligenter inspexisse litteras venerabilium virorum magistri Petri Harlebeccensis, archydyaconi Tornacensis, Walteri de Furnis, ecclesiarum Montensium prepositi, et Willermi dicti Peinart, canonici sancti Martini Yprensis, non cancellatas, non abolitas neque in aliqua parte sui viciatas, prout prima facie apparebat, sub hac forma: «Universis presentes litteras inspecturis *et cetera, ut supra* (*voir* n° 260).» Nos autem, quod a venerabilibus arbitris actum est sive ordinatum pro bono pacis ac sententialiter diffinitum, ratum habemus, ipsorum ordinationem, sententiam sive dictum, tanquam pater abbas dicti monasterii, auctoritate qua possumus confirmantes. In cujus rei testimonium presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo, mense maio.

Registr. Rubrum, fol. 37.

262.

Item confirmatio domine comitisse super eisdem.

1270. 2 Octobre. Universis presentes litteras inspecturis Margareta, Flandrie ac Hanonie comitissa, salutem in Domino. Noveritis nos litteras venerabilium virorum magistri Petri de Harlebeka, archydiaconi Tornacensis, magistri Walteri de Furnis,

ecclesiarum Montensium prepositi, et Willermi dicti Peinart, canonici sancti Martini Yprensis, non cancellatas, non abolitas nec in aliqua sui parte viciatas, vidisse et diligenter inspexisse sub hac forma : « Universis presentes litteras inspecturis Petrus de Harlebeke, archidyaconus Tornacensis, Walterus de Furnis, ecclesiarum Montensium prepositus, et Willelmus dictus Peynard, canonicus sancti Martini Yprensis, salutem in Domino. Noveritis nos litteras religiosarum mulierum Marie, abbatisse de Hemelsdale juxta Ypram, Cysterciensis ordinis (1), totiusque ejusdem loci conventus recepisse in hec verba : Universis presentes litteras inspecturis *et cetera, ut supra.* (*Voir ci-devant*, nos 260 et 259). » Nos autem Margareta, comitissa superius nominata, quod a venerabilibus arbitris actum est sive ordinatum pro bono pacis ac arbitraliter diffinitum, tanquam terre domina et princeps approbamus, ratificamus et etiam confirmamus, et faciemus imposterum observari, ad hec heredes et successores nostros obligantes. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo, in crastino beati Remigii.

Registr. Rubrum, fol. 38.

263.

Littera qua dominus Wilhelmus, li prestres de saint Eloy, Pieres Baudri et Cristiana dederunt Ghiselino le Sceppere unam mansuram, en le Zuudstrate, quam inhabitat, pro vj. marcis et ij. sol.

Nous eschevin d'Ypre faisons savoir à tous ceux qui sont et qui avenir seront, et qui ceste cartre verront ou orront, que sire Willames, li prestres de saint Eloy Pieres Baudri et Crestiene, qui fu filge Hugelot Lotin, ont donnet et ottroiiet à Ghiselin le Sceppere le masure là où il maint sus, en le Zudstrate, pour vj. mars et ij. saus de rente par an à li et à son hoir perpetuelment à tenir, des quels vj. mars et ij. saus de rente par an avant dis sire Willaumes, li prestres de saint Eloy, doit recevoir par an lxvj. saus vij. deniers et malge, Pieres Baudri lx. saus et iij. deniers, et Crestiene devant dite lxvij. saus et trois malges perpetuelment ausy. Et si est à savoir que parmi chou sire Willaumes, le prestres devant dis, Pieres Baudri et Crestiene devant dite ont donneit congiet à Ghiselin devant dit de maisoner ausy hault com il vieut. En quel tesmoignage et en memorance nous avons ceste cartre saiellée de no saiel de le ville d'Yppre. En tesmoignage de ces eschevins Ja- 1271. Avril.

(1) On lit en marge de la première pièce concernant Hemelsdale (ci-dessus, n° 259) l'annotation suivante : *Ordinis sancti Damiani*, avec un chiffre de renvoi à la charte que nous donnons sous le n° 247, et qui concerne Rosendale. D'après cette note, les religieuses qui s'étaient établies d'abord à Rosendale, auraient transféré ensuite leur residence à Hemelsdale. — Cf. *Chronique et cart. de Hemelsdaele*, p. 58 et suiv. nos 17, 18, 19. Le n° 19 reproduit nos chartes 260 et 262. Voir aussi Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 45.

quemes Peperkin, Hugelot Falays, Lambert Bardonc, Jehan Mont, Lambert de Scotes et Wautier le Dorpere. Et fu fait en l'an del incarnation nostre seigneur Jhesu Crist M°. CC°. LXXI°. el mois d'avril.

Registr. Novum, fol. 166.

264.

Cyrografum quod Marota Clisse emit unam mensuram prati.

1271. Mai. Sachent tout chil ki sunt et ki avenir serunt et ki cheste presente chartre verront et oront, ke Marote Clisse de Longhemarc a achateit et aquis, pour li et pour son oir perpetuelment à tenir, une mesure de preit, gisant dedens le parroche de Longhemarc en le Vogheline mersch, encontre Heise Clisse de Longhemarc, borgoize d'Ypre se taiie, pour viij. mars d'artesiens, dont Eise Clisse avant dite se tient bien apaiiet. Et Eise Clisse avant nomée li a enconvent cheste mesure de preit à warandir encontre toute gent, et werp en fist Eise Clisse avant nomée à Marote Clisse avant dite bien et à loy, selonc les hus et les coustumes de le terre où li preis affiert, en tel maniere ke Eise Clisse avant dite a aquis louweit chele mesure de preit à Marote Clisse, se nieche avant dite, ausi longhement ke Eise vivera, pour xij. deniers cascun an. A cheste connissance et à chest werp furent eschevin del mestier de Rolleirs Wautiers de Steenvorde, Jehans li Machecliers, Henris li Waiiere, Willaumes Kint et Jehans Lippin. Chou fut fait en l'an del incarnation mil deus cens soissante et onse, el moys de may.

Registr. Rubrum, fol. 55.

265.

Littera qua dominus Ingerramus de Crequy, archidyaconus Flandrensis in ecclesia Morinensi, confitetur, quod pro visitatione monasterii nostri et vij. ecclesiarum parochialium Yprensium nunquam recepit nisi unicam procurationem, et quod ipse et successores sui unica debent esse contenti.

1273. 21 Avril. Universis presentes litteras inspecturis magister Ingerramus de Creki, archidyaconus Morinensis in Flandria, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum peteremus jure archidyaconali a religiosis viris preposito et conventu ecclesie sancti Martini Yprensis octo procurationes, videlicet unam ratione monasterii, et septem ratione septem ecclesiarum parochialium Yprensium, quibus idem prepositus preesse dinoscitur, quibusque etiam deservit per suos concanonicos, et dicti prepositus et conventus econtrario dicerent se non teneri nobis, ratione archidyaconatus, nisi ad unicam procurationem ratione visitationis faciende in monasterio et ecclesiis supradictis, seque etiam nunquam solvisse alicui archidyacono Morinensi in Flandria, nisi unicam procurationem pro dictis monasterio

et ecclesiis, ea potissimum ratione, quod tam dictum monasterium quam dicte ecclesie sub uno reguntur, nos inspicientes cum magna diligentia ac etiam considerantes jus dictorum prepositi et conventus, quod allegabant contra nos in hac parte, videlicet tum possessorium, tum consuetudinarium, probatum dilucide ab eisdem preposito et conventu per testes ydoneos juratos et diligenter examinatos, quibus fidem adhibuimus, quibusque etiam testibus merito fides est et extitit adhibenda, nolentes etiam dictos prepositum et conventum in aliquo contra justiciam pregravari, immo potius eosdem in omnibus suis juribus conservare, eosdem prepositum et conventum a dicta impetitione absolvimus, declarantes nos contentos esse debere unica procuratione in anno, pro monasterio et ecclesiis Yprensibus supradictis, nec unquam plures quam unicam procurationem recepisse. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro duximus sigillandas. Datum et actum anno Domini M°. CC°. LXX°. tercio, die veneris in paschalibus.

Registr. Novum, fol. 181.

266.

[Quomodo et in quos fuit compromissum a nobis et predicatoribus, et sub qua pena.]

Universis presentes litteras inspecturis W[alterus], Dei pacientia prepositus, et conventus ecclesie sancti Martini Yprensis, frater M. prior fratrum predicatorum apud Ypram manentium, eorumdemque fratrum conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum contentio esset inter nos hinc inde, videlicet super jure parochiali, quo nos prepositus et conventus predicti dicimus nobis injuriam fieri per predictos priorem et fratres et a quibusdam aliis, per ingressum eorum prioris et conventus infra metas nostras parochiales, de bonorum consilio, ad parcendum laboribus et expensis, pacem et concordiam habere adinvicem affectantes, super premissis et quibuscumque aliis controversiis usque in diem hodiernum habitis, compromisimus videlicet in dominum Nicholaum dictum Willemer et dominum Raimbaldum, canonicos predicte ecclesie, electos a nobis preposito et conventu predictis, fratrem M. priorem predictum et fratrem Johannem dictum Halvetonghe, electos a nobis priore et conventu predictis; et magistrum Lambertum dictum Aignel a nobis partibus predictis communiter electum, sub pena quingentarum librarum parisiensium reddendarum parti observanti arbitrium dictorum arbitrorum seu trium ex ipsis a parte resiliente a dicto arbitrio seu sententia arbitrorum predictorum secundum formam predictam; dantes dictis arbitris potestatem expressam ex certa scientia et deliberato consilio ordinandi seu componendi super premissis omnibus et singulis de alto et basso, sub pena predicta et secundum formam predictam, videlicet ut stetur omnium arbitrorum sententie, ordinationi seu compositioni, seu trium ex ipsis; hoc addito quod partium rationes hinc inde proposite seu proponende arbitris tradi debent in scriptis, ab eisdem arbitris sigillande, custodiende etiam ab arbitro quinto, videlicet

1273. 25 Avril.

ab arbitro a nobis predictis partibus communiter electo; adjecto etiam a nobis expresse, quod si contingat, durante compromisso predicto, aliquem de dictis arbitris mori morte civili vel naturali, in locum defuncti seu defunctorum, si plures mori contingat, quelibet pars nostrum poterit et debebit eligere unum vel plures ad perficiendum numerum arbitrorum; si vero quintum medio tempore mori contigerit, communiter debemus eligere alium pro ipso concorditer, alias dicto compromisso nullatenus valituro. Conventum est etiam inter nos, ut coram dictis arbitris procedamus omnibus diebus tam feriatis quam non feriatis, pro bono pacis, presenti compromisso usque ad assumptionem beate Virginis duraturo, ultra non, nisi ipsum compromissum de consensu nostro fuerit prorogatum; et si contingat dictum compromissum infecto negocio evanescere, omnia instrumenta seu rationes, que penes quintum arbitrum, ut dictum est, debent consistere, per eundem arbitrum debent comburi, immo quecumque coram dictis arbitris a nobis super premissis facta fuerint, nullius erunt momenti. Et nos promittimus, juramentis a nobis omnibus singulariter prestitis, fideliter et firmiter servaturos nos ea que per dictos arbitros vel tres ex ipsis fuerint diffinita, arbitrata, ordinata seu per compositionem amicabilem ad statum litis decise deducta, sub pena predicta. Et faciemus omnia premissa sub communibus expensis tum per episcopum Morinensem seu per capitulum ecclesie Morinensis vacantis, tum per sedem apostolicam confirmari; hoc notato, quod si per aliquem partium de nobis staret, quominus premissa vel auctoritate ordinaria vel apostolica confirmarentur, pars illa, per quam staret, ad penam predictam tenebitur, nichilominus penam perjurii incursura. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Et nos frater Johannes, prior provincialis fratrum ordinis predicatorum in Francia, omnia superius expressa, utpote in presentia nostra facta, ad petitionem dictorum prioris et fratrum predicatorum Yprensium, quantum in nobis est, approbamus, rata habemus et confirmamus. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo tercio in die beati Marci ewangeliste.

Registr. Rubrum, fol. 25 (dans une autre pièce).

267.

De predicatoribus. Sententia arbitralis inter nos et ipsos.

1273. 14 Août. Universis presentes litteras inspecturis frater M. prior conventus fratrum predicatorum Yprensium, frater Johannes dictus Halvetonghe ejusdem conventus, Nicholaus dictus Willemer et Reimbaldus, canonici et presbyteri ecclesie sancti Martini Yprensis, necnon et magister Lambertus dictus Agnus, clericus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod, suborta materia questionis inter religiosos viros prepositum et conventum ecclesie sancti Martini Yprensis ex una parte, et nos priorem et conventum predictos ex altera, super ingressu nostro, videlicet prioris et conventus predictorum, per quem dicti prepositus et conventus injuriatum esse sibi dicebant, quantum ad jura parochialia et quedam

alia, in nos super premissis omnibus et singulis extitit compromissum, juramentis prestitis et receptis per nos ab omnibus et singulis, tam a capitibus quam a membris, ad dictas partes spectantibus, de omnibus et singulis inviolabiliter observandis, que inter partes predictas arbitrando seu ordinando vel amicabiliter componendo, vel concorditer omnes vel tres ex nobis, quantum ad expeditionem negocii supradicti, proferemus, prout hec omnia in litteris super hoc confectis, sigillatis sigillis religiosorum virorum prepositi et conventus sancti Martini Yprensis predictorum, fratris Johannis, prioris provincialis fratrum predicatorum in Francia, et sigillo nostro prioris predicti et conventus fratrum predicatorum Yprensium predictorum, plenius continentur. Petitione igitur ex parte dictorum prepositi et conventus contra partem adversam super premissis edita, secutaque responsione partis adverse contra petitionem predictam, ac lite inter predictas partes sollempniter contestata, juratoque inter partes predictas tam de calumpnia quam de veritate dicenda, auditis hinc inde propositis et que partes hinc inde proponere voluere, cognitis dicte cause meritis, ac concluso in ipso negocio, de prudentum virorum consilio inter predictas partes ita duximus ordinandum. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Pro bono pacis concorditer ordiuamus, quod dicti prepositus et conventus medietatem oblationum devenientium ad manus sacerdotum ad altare in ecclesia predicatorum Yprensium, in denariis et candelis, debent percipere et habere, dicta perceptione facienda ultima die cujuslibet mensis principalis. Aliam vero medietatem habere debebunt dicti prior et fratres, exceptis tamen oblationibus, que fient in novis missis dictorum fratrum; item que fient in exequiis ipsorum fratrum; item que fient gratia funerum extraneorum; item exceptis candelis que dicti prior et fratres facient de propria cera in die purificationis beate Virginis causa offerendi, que cum ceteris offerendis debent cedere usibus dictorum prioris et fratrum. Et ob compensationem juris parochialis detracti dictis preposito et conventui in hac parte, debent dicti prior et fratres quolibet anno solvere dictis preposito et conventui sex libras Flandrensis monete, videlicet mediam partem infra quartam diem dominice nativitatis, et aliam medietatem infra quartam diem nativitatis beati Joannis Baptiste, donec dicti prior et fratres assignaverint redditus tantumdem valentes dictis preposito et conventui, infra balliviam Yprensem vel in loco extra dictam balliviam a dictis preposito et conventu acceptando, non minus in uno loco quam viginti solidos Turonenses; hoc notato, quod si inter predictas partes fiat contentio de valore dicte assignationis facte vel faciende, ad arbitrium boni viri recurrendum est in hac parte; et debent dicti prepositus et conventus recipere a dictis priore et conventu particularem assignationem, non minus tamen viginti solidorum Turonensium, quousque dictis preposito et conventui a dictis priore et conventu predicatorum de dicto redditu ad plenum fuerit satisfactum, littera quitationis danda dictis priori et fratribus a dictis preposito et conventu, pro modo assignationis facte. Item ordinamus, quod dicti prior et fratres libere possunt uti jure monasteriali in villa Yprensi, sicut in aliis locis consuescunt alii fratres predicatores. Item ordinamus, ut hinc inde

recepta sint, vel per viam oblationum, vel per viam receptionis elemosine, mutua compensatione sint exnunc sublata, et ab altera parte alteri ad plenum remissa; item et ut littere facte super ingressu dictorum prioris et fratrum Yprensium per priores provincialem predictum, Insulensem et Bergensem ac prepositum et conventum exnunc omnino viribus careant, virtute presentis ordinationis; item ut partes predicte procuratores mittant ad curiam Romanam, ad impetrandam confirmationem ordinationis presentis, procuratore dictorum prioris et fratrum approbando per dictos prepositum et conventum, et econtrario procuratore dictorum prepositi et conventus approbando per dictos priorem et fratres, predictis procuratoribus juraturis se fideliter, pro posse suo, pro confirmatione presentis ordinationis impetranda laboraturos. Penam pecuniariam nos arbitri predicti partibus consentientibus remittimus, ipsas partes ad observationem presentis ordinationis juramento prestito astringentes. Nos vero partes predicte, videlicet prepositus et conventus, prior et conventus predicti, presenti ordinationi concorditer et deliberato consilio consentimus, et eandem, quantum in nobis est, approbamus, interposito juramento specialiter promittentes nos presentem ordinationem ac omnia et singula in dicta ordinatione contenta fideliter et firmiter servaturos, dolo, fraude, calliditate et machinatione quibuscunque exclusis; expresse vero consentientes ut, si quid obscurum vel dubium circa presentem ordinationem vel aliqua contentorum in eadem ordinatione emerserit, illud judicio vel sententia dicti magistri Lamberti quinti arbitri exnunc relinquimus declarandum, omni dubitatione seu obscuritate per eundem magistrum Lambertum quoad vixerit declaranda, post ipsius vero mortem per dominum Morinensem episcopum vel decanum Morinensem, sede Morinensi vacante. In cujus rei testimonium et munimen nos, tam dicti arbitri quam partes predicte, presentes litteras duximus sigillandas; hoc notato, quod ego frater Johannes predictus, unus arbitrorum predictorum, cum sigillum proprium non habeam, usus sum in hac parte sigillo religiosi viri prioris fratrum predicatorum Brugensium, et nos Nicholaus et Reimbaldus predicti, cum propria sigilla non habeamus, in signum et testimonium rei geste sigillo religiosi viri prepositi ecclesie beate Marie Formozellensis utimur in hac parte. Actum anno Domini M°. CC° septuagesimo tercio, in vigilia assumptionis beate Marie virginis.

Registr. Rubrum, fol. 23.

268.

Hec est confirmatio domini pape inter nos et predicatores.

1274. 15 Juillet. Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui domus fratrum ordinis predicatorum Yprensium, Morinensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita con-

tinebat, quod vos olim accedentes ad villam Yprensem, ibidem ecclesiam, domos et officinas vobis necessarias construere incepistis; verum prepositus et conventus ecclesie sancti Martini Yprensis, ordinis sancti Augustini, Morinensis diocesis, asserentes sibi ex hoc prejudicium generari, se vobis super constructione ecclesie, domorum et officinarum predictarum opponere *curaverunt* (1); ortaque ita inter vos ex parte una, et dictos prepositum et conventum super hiis ex altera, materia questionis, fuit tandem super premissis a partibus in fratres Johannem dictum Halvetonghe, vestri ordinis, Nicholaum dictum Willemer et Raimbaldum, canonicos ipsius ecclesie sancti Martini eorumque collegas, tanquam in arbitros, juramento hinc inde prestito, concorditer compromissum; idem vero arbitri, diligenter compromissi forma servata, equum super premissis tulerunt arbitrium inter partes, prout in litteris patentibus inde confectis, quarum tenores inferius annotantur, plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, arbitrium hujusmodi, sicut est equum et ab utraque parte sponte receptum, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Primus autem tenor litterarum ipsarum talis est: « Universis presentes litteras inspecturis W[alterus], Dei patientia. *(Suit la lettre donnée ci-dessus, au* n° 266.) » Secundus vero tenor est talis: « Universis presentes litteras *et cetera ut supra. Datum ut supra.* (*Voir ci-dessus* n° 267.) » Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, ydus julii, pontificatus nostri anno tercio.

Registr. Rubrum, fol. 25.

269.

Littera super hoc quod promisimus discedere perpetuo a lite mota et movenda in capitulum beati Donatiani in Brugis, super decimis predialibus infra fines parochiarum Yprensium pro duabus partibus.

Universis presentes litteras inspecturis, E[gidius] decanus et totum capitulum sancti Donatiani in Brugis, Tornacensis dyocesis, salutem in Domino sempiternam. Vestra noverit universitas, quod cum inter nos nomine nostro et ecclesie nostre ex parte una, et viros religiosos prepositum seu abbatem et conventum sancti Martini Yprensis, dyochesis Morinensis, nomine suo et ecclesie sue ex altera, super quadam pecunie quantitate non minima, immo summam duorum millium librarum parisiensium ascendente, occasione seu causa cujusdam injurie atque dampni, quam seu quod dicebant firmiter sibi a nobis inferri vel esse illata, questio coram diversis judicibus, auctoritate apostolica delegatis et partium,

1274. 24 Novemb.

(1) Curaverunt, Ms. *curarentur.*

ordinariis Tornacensibus, Morinensibus videlicet et Remensibus officialibus, ventilata fuisset diutius, et predecessoribus nostris et nobis lis ipsa quodammodo immo talis videri poterat nec immerito videbatur, tandem pro bono pacis et concordie, de bonorum et jurisperitorum consilio, duximus liti pacificum finem imponere, ac predictis preposito seu abbati et conventui, ut a lite predicta et causa ipsius in nostrum gravamen vel prejudicium prosequenda forsitan vel movenda perpetuo et omnino discedant, et instrumenta ipsorum et acta omnia, que ad causam faciunt sive possunt facere, ac quecumque alia munimenta ipsorum, que faciunt sive possunt facere contra nos sive contra ecclesiam nostram ad causam ipsorum quamcumque alias nobis motam, irrita sibi reputent, cassa quoque faciant, eis videlicet per se vel per alium sive alios contra nos sive ecclesiam nostram in nostrum prejudicium vel gravamen in aliquo non usuri de cetero, immo potius nobis, quecumque petenda duxerimus, tradituri, aliquam partem predicte pecunie dare sive promittere nos daturos et facere bona fide que ipsis duxerimus promittenda. Ob causam itaque supradictam, cum dicti prepositus sive abbas et conventus, sub fide et juramento prestitis corporaliter et sub pena centum marcharum auri, nobis seu procuratori nostro, ecclesie nostre seu nomine nostro stipulanti, promiserint se transituros et discessuros perpetuo et omnino a lite et causa predictis, ut dictum est superius, et supradicta omnia se facturos, nos predictis preposito seu abbati et conventui, suo et ecclesie sue nomine, quadringentas libras Flandrenses ad subscriptos terminos, ita videlicet quod ducentas libras infra festum vel ad festum beati Remigii venturum proximo, prout potius elegerimus, et residuas ducentas libras ad sequens festum vel infra sequens festum beati Remigii, prout elegerimus, nos, sub fide et juramento prestitis corporaliter et sub pena superius memorata, que, rato manente pacto seu ratis manentibus pactis, tociens committatur a parte utralibet resiliente ab aliquo premissorum, sic enim conventum exstitit inter partes, quociens contra premissa vel aliquod premissorum fuerit attemptatum, promittimus soluturos. Ad pleniorem etiam firmitatem et robur singulorum et omnium premissorum, beneficio restitutionis in integrum, denuntiationi etiam cuicumque, que posset fieri apud quemcumque fortassis, exceptioni de dolo in factum et aliis exceptionibus ac defensionibus quibuscumque et omni alii juris canonici vel civilis auxilio, privilegiorum etiam impetratorum seu impetrandorum, privilegii impetrati aut etiam impetrandi pro nobis seu ecclesia nostra beneficio, quibus seu quorum aliquo premissorum aliquid posset infringi, vel contra premissa vel aliquod premissorum veniri, seu aliquatenus attemptari, et nobis in prejudicium partis adverse succurri, tenore presentium renuntiamus penitus et expresse. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum seu ecclesie nostre sigillum duximus apponendum. Nos quoque prepositus sive abbas et conventus sancti Martini Ypreusis predicti non tantummodo nos facturos omnia dicto capitulo necessaria, super premissis transitione, discessione a lite et causa quacumque a nobis hactenus mota capitulo seu decano et capitulo sancti Donatiani Brugensis predicti, et super aliis faciendis pro dicto capitulo et promissis eidem a nobis, sed etiam quando nobis solvende pecunie plena solutio

nobis fuerit, ne materia questionis superflue successoribus nostris vel nobis imposterum relinquatur, nos presentes litteras, tanquam post solutionem perfectam congrue nobis inutiles, nos reddituros seu restituturos capitulo sancti Donatiani predicti, procuratori dictorum decani et capituli sufficienter instructo, eorum seu ecclesie sue nomine stipulanti, sub fide et juramento in animas nostras prestitis et sub pena predicta, ut dictum est superius, committenda promittimus bona fide. In cujus et premissorum singulorum et omnium testimonium et munimen, presentes litteras nostrorum, videlicet predictorum prepositi seu abbatis et conventus Yprensis dictorum, munimine sigillorum fecimus roborari; rogantes ordinarium nostrum, ut auctoritatem predictis adhibeat, et in testimonium premissorum, videlicet promissorum a nobis et approbationem eorum, presentes litteras suo seu sue curie Morinensis sigillo faciat communiri. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, sabbato ante festum beati Andree apostoli.

Registr. Rubrum, fol. 35.

270.

Littera de iiij. linis prati et xxxvj. virgis in Langhemarc, nobis datis ab Heissia dicta Clisse.

Universis presentes litteras inspecturis W[alterus], permissione divina prepositus ecclesie beati Martini Yprensis, salutem in Domino. Noverint universi, quod Heissia dicta Clisse, mater Egidii, Johannis et domini Petri dictorum Clisse, compos sui et sane mentis, laborans in extremis, contulit et legavit ecclesie beati Martini Yprensis conventuali quatuor lineas terre pratalis et triginta sex virgas, sitas in parochia de Longhemarc, in loco qui dicitur Vogheline mers, et que condam fuerat Henrici Laurins et Johannis Laurins, ejus fratris, ad opus anniversarii sui in ecclesia nostra singulis annis imperpetuum faciendi, et in puram et perpetuam elemosinam nobis dedit, et promisit fide data, quod nos [et] ecclesiam nostram de eadem gaudere permittet in futurum, coram multis probis et vicinis ad hoc evocatis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mense martio. 1274-75. Mars.

Registr. Rubrum, fol. 55.

271.

Privilegium quod nos debemus habere dimidiam partem omnium que provenient ad crucem ante chorum.

Nos prepositus et conventus ecclesie sancti Martini Yprensis, nos vero kerkemagistri et parochiani sancti Martini predicti in hoc unanimiter consentimus, quod crux cum ymaginibus beate Virginis et beati Johannis eidem cruci annexis, de qua fuit hinc inde contentio, ponatur extra chorum, in bodio ecclesie pre- 1275. Juillet.

dicte, omnibus obventionibus seu oblationibus, que ex devotione fidelium fient ad crucem antedictam, convertendis in fabricam ecclesie memorate, videlicet dimidia parte dictarum obventionum seu oblationum cessura parti fabrice ecclesie parochialis, alia vero dimidia parte cessura fabrice chori sancti Martini predicti, custode autem ad dictas obventiones seu oblationes observandas communiter apponendo. In cujus rei testimonium nos prepositus et conventus predicti presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Nos vero kerkemagistri et parochiani predicti usi sumus sigillo scabinorum Yprensium in hac parte. Datum et actum anno Domini millesimo CC°. LXX°. quinto, mense julio.

Registr. Rubrum, fol. 97.

Aux archives de la ville d'Ypres: original muni des sceaux du prévôt, du chapitre et des échevins, avec contre-scels; transcription au *Wittenboek*, fol. 267, et au *Geluvenboek*, fol. 1.

Diegerick, *Inventaire des archives de la ville d'Ypres*, t. I, p. 112 (analyse).

272.

Littera domini officialis Morinensis mandans Galtero Barteirre et ejus filio, qui decimam ecclesie sancti Martini vendiderunt, ut sub pena excommunicationis dimittant religiosos sancti Martini Yprensis uti decima predicta, jacente in Reneghelst.

1276. 12 Août. Officialis Morinensis presbytero de Reninghels et magistro Waltero dicto Wuvekin capellano salutem in Domino. Ex parte religiosorum virorum prepositi et conventus ecclesie sancti Martini Yprensis, nomine ecclesie sue, nobis est graviter conquerendo monstratum, quod, licet Walterus Barteirre, parochianus de Reninghels, et Johannes clericus, ejus filius primogenitus, dudum vendiderint pro justo et legitimo precio, de quo eisdem extitit satisfactum, ecclesie predicte decimam suam sitam in dicta parochia, quam idem Walterus tenebat a domino Johanne de Reninghels milite in feodum ejusque accedente consensu, et que decima est in personatu dicte ecclesie, et dictus Johannes libere et absolute dicte venditioni spontaneum adhibuerit consensum coram nobis, et recognoverit dictam venditionem sollempniter et rite esse celebratam de dicta decima perpetuo ab ipsa ecclesia possidenda, et ipsi Walterus et Johannes renuntiaverint coram nobis omni juri, quod habebant seu habere poterant in dicta decima ex quacumque causa, omni exceptioni doli mali, fori, omni juris auxilio tam canonici quam civilis, et promiserint, fide et juramento interpositis, se contra premissa non venturos, nec aliquid juris reclamaturos in decima antedicta, prout in litteris curie Morinensis super hoc confectis plenius continetur, et ipsa ecclesia fuerit in possessione percipiendi et levandi fructus et proventus dicte decime, nichilominus idem Walterus et Johannes, ejus filius, per dominum Gerardum de Reninghels seu ejus mandatum, ipsam ecclesiam nuper a possessione dicte decime spoliarunt et se sollicitant poni in possessionem

dicte decime, fructuum et proventuum ejusdem, quos levare nituntur, et intendunt, videlicet contra fidem suam et juramentum temere veniendo et in dampnum dicte ecclesie. Inde est quod vobis mandamus sub pena suspensionis et excommunicationis firmiter injungentes, quatinus moneatis dictos Walterum et Johannem, ut fidem suam et juramentum observent in premissis, necnon et ipsos et dictum militem ac ejus mandatum moneatis, ut ipsi se amoveant a possessione dicte decime, et ipsam ecclesiam ad suam possessionem de eadem et fructibus ejusdem juxta tenorem nostrarum litterarum restituant, et ipsam ecclesiam de eisdem gaudere permittant indilate, sine custu et dampno dicte ecclesie, si vobis constitit legitime de premissis; alioquin ipsos, quos in hiis scriptis excommunicamus, denuncietis palam et publice excommunicatos, alio mandato nostro minime expectato, inhibentes dictis Waltero, Johanni et Willelmo ejus filiis, Gerardo militi et omnibus aliis de quibus fueritis requisiti, ne ipsi aliquid contra dictam ecclesiam circa decimam predictam, fructus et proventus ejusdem attemptent, innovent vel immutent, attemptare, arrestare, levare, occupare, detinere, possessionem eorumdem intrare, aut in aliquo procedere presumant, sub pena excommunicationis, quod sit in prejudicium nostre jurisdictionis dicteque ecclesie gravamen, et quid inde feceritis et si qui se permiserint excommunicari, nobis et eorum nomina rescribatis, ita quod in hiis exequendis unus vestrum alium vel alios non expectet. Datum anno Domini M°. CC°. LXX°. sexto, die mercurii post festum beati Laurentii martyris.

Registr. Nigrum, fol. 69.

273.

Littera mentionem faciens mandatum domini officialis superius expressum per presbiterum de Reineghelst fuisse exsecutum.

Viro venerabili et discreto domino suo officiali curie Morinensis vacantis P. pres- 1276.
byter de Reninghels, salutem et obedientiam in mandatis. Noverit vestra discretio, 19 Août.
quod nos mandatum vestrum presentibus appensum, de monendo et excommunicando, elapsa prius monitione, Walterum le Bareteirre et Johannem Bareteirre, ejus filium, diligenter sumus exsecuti, secundum ejusdem mandati tenorem, quia nobis constitit per facti evidentiam de contentis in vestro mandato, et quasi omnibus notorium esse constat etiam, quod Johannes, filius Walteri Bareteirre, nisus est etiam et nititur se facere poni in possessionem decime fructuum et proventuum ejusdem, que ad ecclesiam sancti Martini dinoscitur pertinere, et eosdem fructus dicte decime impedire procurare et levare et absportare voluit et intendit, non obstante fide, juramento, venditione necnon et monitione sibi facta. Nichilominus monuimus prefatos Walterum et Johannem et dominum Gerardum de Reninghels militem et ejus mandatum, eisdem necnon et domino Jacobo militi inhibuimus, et contra eos mandatum vestrum executi sumus juxta formam litterarum vestrarum presentibus appensarum. Datum anno Domini M°. CC°. LXX°. sexto, die mercurii post assumptionem beate Virginis.

Registr. Nigrum, fol. 69.

274.

De prima capellania hospitalis Salomonis Belle, et de domo capellani.

1276. 8 Août. Universis presentes litteras visuris W[alterus], Dei pacientia prepositus sancti Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum Cristina, relicta quondam Salomonis dicti Belle, burgensis de Ypra, operi caritatis hospitale quondam infra villam Yprensem in Zutstrata construxisset ad sustentationem pauperum, eidemque hospitali sufficientes redditus assignasset, ac a nobis humiliter petiisset, ut in eodem hospitali capellanum secularem moribus et scientia commendandum poneremus, nec amovendum ab eodem loco nisi ob delictum, quod ad amotionem sufficiat, ad celebranda divina et ad dicendum seu legendum horas canonicas singulis diebus, horis competentibus; hoc notato, quod divina diebus dominicis et festivis in eodem hospitali cantando debeant celebrari, nisi idem capellanus legitime excusatus fuerit, vel propter minutionem seu aliam causam rationabilem, quo casu alius presbyter debet vices capellani supplere supradicti ad expensas capellani prefati, et ad ministrandum fratribus ac sororibus, infirmis ac servientibus dicti hospitalis ecclesiastica sacramenta, nos volentes petitioni dicte Cristine acquiescere in hac parte, ac ipsius tam laudabile propositum promovere, de communi consensu ac deliberato consilio eidem Cristine concedimus, ut in hospitali predicto instituatur per nos perpetuus capellanus habitus secularis, non amovendus nisi ob delictum, quod amotionem requirit, qui cotidie in eodem hospitali divina celebret, diebus dominicis et festivis cantando, horas canonicas singulis diebus dicat, supplendo dicti capellani defectum, si quis fuerit, per alium sacerdotem, ut dictum est, ad expensas capellani prefati, et qui fratribus ac sororibus infirmis ac familie dicti hospitalis ecclesiastica sacramenta ministret. Debent autem sani semel in anno ad minus proprio sacerdoti vel de sua licentia alteri confiteri, ac recipere in ecclesia parochiali eukaristie sacramentum. Capellanus autem predictus, qui pro tempore erit, in principio sui ingressus jurare debet se servaturum fideliter jura nostra seu ecclesie nostre supradicte. Debet autem idem capellanus habere in dicto hospitali domum competentem et que sufficiat, et sufficere debet honeste; retentis nobis omnibus oblationibus, quas ad altare ad manum presbyteri venire contigerit, preter candelas, quarum pars dimidia nostra erit, altera hospitalis predicti. Residua etiam cereorum seu candelarum accensorum seu accensarum coram ymaginibus aliunde venientium, debent inter nos et hospitale predictum equaliter dividi, videlicet parte dimidia nobis danda, altera parte penes hospitale prefatum, sine diminutione aliqua, remansura; hoc adjecto, quod de cereis vel candelis factis seu faciendis de propria cera hospitalis predicti seu Cristine predicte, ad opus luminaris in eodem hospitali, nichil juris poterimus vendicare. Oblata vero seu offerenda in die parascheves super altare posita cujuscunque generis nobis totaliter cedent. Ea vero que eodem

die offerri contigerit ante crucem in eodem hospitali, quod vulgariter *crupen* dicitur, inter nos et hospitale predictum equaliter dividentur. Debent autem rectores seu provisores hospitalis predicti singulis annis dare quindecim libras Flandrenses capellano predicto ad sustentationem suam, et custodi clerico dicti hospitalis sexaginta solidos, quoad vixerit dicta Cristina, post mortem vero dicte Cristine quatuor libras Flandrenses, addendo dictis sexaginta solidis viginti solidos, solvendos terminis inferius annotatis, videlicet terciam partem in festo beati Remigii, et terciam infra octavas pasche, et terciam infra nativitatem beati Johannis Baptiste, custode, qui ibidem pro tempore [erit], in principio sui officii juraturo se jura ecclesie nostre fideliter servaturum. Campanulam autem cum turre *quadrata* (1) habere poterit hospitale prefatum, et nos promittimus, quod quolibet anno anniversarium dicti Salomonis in *choro ecclesie* sollempniter, sicut pro uno canonico, celebrabimus, *necnon* dicte Cristine post mortem suam, in compensationem bonorum que pluries nobis fecerunt, et specialiter ob assignatum nobis ad opus infirmarie nostre redditum sex librarum Flandrensium, solvendum diebus quibus predicta anniversaria contigerit celebrari; quem dicti provisores dictis diebus solvere tenebuntur, de bonis a dicta Cristina dicto hospitali ad opus dicte solutionis specialiter deputatis. Que et si non sufficient, tunc de bonis dicti hospitalis nobis debet satisfieri usque ad redditum memoratum, terminis supradictis. Et promittimus nos contra premissa omnia et singula vel aliqua premissorum occasione quacunque imposterum non venturos. Ad premissa omnia et singula firmiter observanda nos successores nostros et ecclesiam nostram specialiter obligamus, sub testimonio presentium litterarum, quibus sigilla nostra propria duximus apponenda, et promittimus nos procuraturos bona fide per dominum episcopum Morinensem, cum creatus fuerit in ecclesia Morinensi, premissa omnia et singula confirmari, supplicantes exnunc venerabilibus viris et discretis dominis nostris reverendis decano et capitulo Morinensi, ut ipsi premissis omnibus et singulis consensum suum prebere velint et assensum, et ea, quantum in eis est, auctoritate sedis Morinensis vacantis confirmare. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, mense augusto, sabbato ante festum beati Laurentii.

Registr. Rubrum, fol. 6.

275.

De redditibus sex librarum annuatim de hospitali Christine Belle nobis debitis et assignatis in hospitali de Belle.

Universis presentes litteras visuris advocatus et scabini Yprenses salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod Cristina, relicta quondam Salomonis 1276. Août.

(1) Des taches d'encre ici et deux lignes plus bas empêchent de bien voir les mots. Nous les avons rétablis de notre mieux en italiques. d'après les lettres qui restent. — Dans cette pièce, le copiste a écrit une fois *Cristina* et partout ailleurs *Cristiana*; toutefois dans deux endroits il a marqué expressément qu'il fallait supprimer l'*a*.

dicti Belle, fundatrix hospitalis siti apud Ypram in Zutstrata, coram nobis personaliter constituta recognovit hospitale predictum obligatum esse ac etiam obligavit preposito et conventui ecclesie beati Martini Yprensis in sex libris Flandrensibus annuis, ad opus infirmarie dicte ecclesie, solvendis per manus rectorum seu provisorum dicti hospitalis in die anniversarii dicti Salomonis, post anniversarium ipsius Salomonis factum in choro dicte ecclesie sollempniter ab ipsis sicut pro uno canonico, quamdiu vixerit ipsa Cristina. Post mortem vero dicte Cristine, dicti redditus debet fieri solutio particularis, videlicet sexaginta solidorum in die anniversarii dicte Cristine, post anniversarium celebratum in choro predicto sollempniter ab ipsis, ex conventionibus habitis hinc et inde inter fundatricem, prepositum et conventum predictos. Ad opus autem dicte solutionis faciende, dicta Cristina sufficientes redditus assignavit dicto hospitali. Nos autem premissis ad instantiam partium consensum prebuimus et assensum, quantum in nobis est, facturi ea, prout ad nos pertinet, observari. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo communitatis ville Yprensis duximus sigillandas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, mense augusto.

Registr. Rubrum, fol. 6.

276.

De capitulo beati Donatiani in Brugis super decimis predialibus, et quod recepimus cccc. libras ab ipsis.

1276. 29 Sept. Universis presentes litteras inspecturis W[alterus], divina patientia prepositus sive abbas sancti Martini, Morinensis dyocesis, et totus conventus ejusdem loci salutem in Domino sempiternam. Noverit vestra universitas, quod nos pacem et concordiam nostram, etiam promissionem omnimodam et quamcumque fecimus pactionem, tendentem ad pacem perpetuam et concordiam inter nos nomine nostro et ecclesie nostre ex parte una, et venerabiles viros capitulum seu decanum et capitulum sancti Donatiani Brugensis, dyochesis Tornacensis, nomine suo et ecclesie sue ex altera, super decimis predialibus, tam veteribus quam novalibus seu novalium, pro duabus partibus, infra limites nostre parochialis Yprensis ecclesie, seu nostrarum parochialium ecclesiarum Yprensium futurarum etiam quandocumque imposterum, proventuris et percipiendis ab ipsis Brugensibus imperpetuum pleno jure, et prout in litteris inde confectis, quas habent a nobis predicti Brugenses, nostrorum videlicet predictorum prepositi seu abbatis et conventus sigillorum munimine roboratas, plenius continetur, et factam et initam auctoritate etiam sedis Morinensis vacantis et, nobis Yprensibus antedictis petentibus et sic fieri requirentibus, approbatam, ad perpetui quoque firmitatem roboris confirmatam, et approbantes et gratam et ratam habentes, amplectentes etiam et approbantes per omnia nostram pretactam promissionem omnimodam, quam Brugensibus antedictis fecimus, comprehensam in litteris illis etiam, quas habuimus a predictis Brugensibus sue sigillo ecclesie sigil-

latas, et quibus, ex causa rationabili, nostra sigilla duximus apponenda, in quibus etiam ipsis litteris dicti Brugenses se nobis ad solutionem quadringentarum librarum Flandrensium, ex rationabili causa in dictis litteris comprehensa, statutis terminis faciendam, sub pena expressa in dictis litteris centum marcarum videlicet auri, que tociens committatur a parte que contra promissa venerit, parti alteri observanti solvenda, quociens contra promissa utrimlibet vel promissorum aliquod ventum vel aliquatenus attemptatum fuerit, obligarunt, nos siquidem approbantes predicta et eadem, quia sic congruit, amplectentes tenore presentium recognoscimus et fatemur, quod dicti Brugenses de dicta pecunie quantitate totali, videlicet quadringentarum librarum Flandrensium, nobis congrue satisfecerunt in pecunia numerata, et dictam totalem pecunie quantitatem congrue nobis solverunt, ut suis terminis debuerunt solvere, immo etiam ante terminos constitutos, et ideo dictos sancti Donatiani Brugensis capitulum seu decanum et capitulum quitos clamamus totaliter et in totum et penitus de predictis quadringentis libris Flandrensibus, et per consequens ab omnimodo ex quacumque causa fuerit usque in diem presentem debito, et quietos haberi volumus imperpetuum et habemus, renuntiantes exceptioni non numerate, non solute, non recepte pecunie, non in nostram utilitatem converse, exceptioni doli mali in factum et omni alii exceptioni juris canonici vel civilis, beneficio restitutionis in integrum, omni quoque juris canonici vel civilis, auxilio necnon privilegio impetrato vel impetrando etiam quandocumque pro nobis seu ecclesia nostra, omnibus quoque aliis defensionibus et auxiliis, quibus juvari possemus in aliquo quantum ad premissa, pars autem dictorum Brugensium pregravari, premissis siquidem et quibuscumque aliis nos juvare valentibus in premissis renuntiamus penitus et expresse. Ad perpetuam ergo solutionis predicte et aliorum comprehensorum in dictis litteris, quas habuimus, et memoriam et munimen, predictas litteras, quas a dictis Brugensibus nos habuisse prediximus, ipsis tenendas ab eis libere, sicut et convenit, restituimus juxta nostram promissionem superius memoratam, videlicet in predictis litteris, quas habuimus et restituimus, comprehensam. Nos itaque in testimonium premissorum et singulorum et omnium, fide corporaliter interposita nostra, videlicet predictorum prepositi seu abbatis et conventus, sigilla presentibus litteris, quas tradidimus ipsis Brugensibus sepedictis, duximus apponenda. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo sexto, in die sancti Michaelis archangeli.

Registr. Rubrum. fol. 34.

277.

Littera approbationis Johannis, filii Heissie, super donatione terre pratalis in Langhemarc.

Officialis Cameracensis universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. 1276.
Noverint universi, quod propter hoc in nostra personaliter constitutus presentia, 31 Octobre.

Johannes dictus Clysse, pedagogus ingenue prolis, scilicet Johannis, filii domini comitis Barrensis, ad presens, collationem seu legatum, quod fecit dudum mater ipsius Johannis in vita sua ecclesie beati Martini Yprensis, Morinensis dyocesis, ad opus anniversarii sui in ecclesia predicta faciendi, scilicet quatuor linearum terre pratalis et triginta sex virgarum, site ad locum qui dicitur Vogheline mersch, et que quondam fuit Henrici Laurin et Johannis Laurin, ejus fratris, approbat, laudat coram nobis et suum benivolum in hoc prebet consensum pariter et assensum; promittens, fide prestita corporali et juramento interposito, quod in dicta terra imposterum quacunque ex causa aut ratione aliquid juris non reclamabit nec reclamari faciet infuturum, sed dictam ecclesiam sancti Martini de eadem terra imperpetuum libere et sine aliqua contradictione aut molestatione aliqua, pacifice et quiete gaudere permittet, alicujus contradictionis obstaculo juris canonici vel civilis non obstante. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo curie et sedis Cameracensis duximus sigillandas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo (1) sexto, die dominica ante festum omnium sanctorum.

Registr. Rubrum, fol. 55.

278.

Littera compromissi super omnibus controversiis habitis inter nos ex una parte, et magistrum Johannem de Fieffes, archidyaconum Morinensem, ex altera.

1276-77. 14 Février.

Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis salutem in Domino. Noverint universi, quod coram nobis propter hoc in jure specialiter et personaliter constituti, magister R. de Ays, advocatus in curia Morinensi, procurator venerabilis viri et discreti magistri Johannis de Fieffes, archidyaconi Flandrensis in ecclesia Morinensi, nomine procuratorio ipsius archidyaconi et pro ipso, habens super hoc potestatem et mandatum speciale per litteras ipsius archidyaconi ex una parte, et Jacobus Mallardi clericus, procurator virorum religiosorum Walteri, prepositi sancti Martini Yprensis, administratorum tociusque loci conventus, nomine procuratorio ipsorum et pro ipsis ex altera, habens super hoc potestatem et mandatum speciale, per litteras dictorum prepositi et conventus, super omnibus controversiis, querelis et actionibus motis et que moveri potuerint, usque in diem confectionis presentium litterarum, ratione et causa archidyaconatus dicti archidyaconi predicti seu alia de causa, inter ipsos archidyaconum ex una parte, et dictos religiosos conjunctim vel divisim ex altera, et specialiter super eo, quod idem archidyaconus petierat et petebat sibi solvi a dictis religiosis, pro qualibet ecclesia parochiali Yprensi, unam procurationem, cum in eisdem ecclesiis sicut in eorum proprio monasterio visitare consueverat, ut dicebat;

(1) C'est évidemment une erreur de date: il faut lire *septuagesimo*. Voir ci-dessus la pièce n° 270.

item super eo, quod petebat quasdam emendas sibi solvi ab eisdem, occasione quorumdam delictorum ab ipsis religiosis seu quibusdam ipsorum perpetratorum, ut dicebat, necnon et super arreragiis quarundam procurationum, et super expensis factis et faciendis a dicto archidyacono, occasione litium seu causarum motarum inter ipsas partes, tam in curia Morinensi, quam in curia Remensi et quam alibi, compromiserunt et se compromisisse recognoverunt, compromittunt et se compromisisse recognoscunt, de alto et de basso, in viros utique discretos dominos Odonem de Neffles, canonicum Remensem, Nicholaum, celerarium sancti Martini predicti, et magistrum Jacobum de Stapulis, canonicum Thoraltensem, tanquam in arbitros, ordinatores seu amicabiles compositores, promittentes nomine procuratorio pro ipsis archidyacono et religiosis et nomine ipsorum, sollempni stipulatione interveniente, et etiam fide et juramentis in manu nostra corporaliter prestitis ab eisdem procuratoribus in animas ipsorum archidyaconi et religiosorum, et sub pena quingentarum librarum parisiensium parti observanti arbitrium, arbitratum, ordinationem seu amicabilem compositionem a parte resiliente ab arbitrio reddendarum, rato nichilominus remanente compromisso, quod quidquid prefati Odo, Nicholaus et Jacobus, vel duo ipsorum, altero etiam absente, tamen vocato, tempore feriato et non feriato, ubicumque in provincia Remensi sive extra, juris ordine totaliter pretermisso, omni sollempnitate rejecta, [verbis] sive scriptis, partibus presentibus vel absentibus, seu etiam altera absente, vocata tamen semel aut pluries, super omnibus et singulis premissis et premissa tangentibus, pace, judicio seu ordinatione duxerint ordinandum, arbitrandum seu etiam statuendum, dicte partes inviolabiliter observabunt. Et pro premissis tenendis et inviolabiliter observandis idem procurator dictorum religiosorum nomine procuratorio pro ipsis religiosis et nomine eorumdem, ad majorem securitatem dicti archidyaconi, eidem archidyacono omnia bona dictorum religiosorum et eorum ecclesie obligat; et similiter dictus procurator dicti archidyaconi, nomine procuratorio pro dicto archidyacono et nomine ejusdem, omnia bona archidyaconatus ipsius archidyaconi obligat propter hoc erga religiosos predictos. In quorum omnium testimonium et munimen, ad supplicationem dictorum procuratorum, presentes litteras dictis partibus tradidimus sigillo curie Morinensis sigillatas, dicto compromisso usque ad pascha proximo venturum solummodo duraturo, nisi de consensu partium ulterius fuerit prorogatum. Datum anno Domini M°. ducentesimo septuagesimo sexto, dominica qua cantatur *Invocavit me.*

Registr. Rubrum, fol. 122 (en vidimus).

279.

[Littera qua Walterus prepositus constituit procuratores ad audiendam sententiam arbitrorum in causa ante dicta.]

Universis presentes litteras inspecturis Walterus, divina permissione prepositus ecclesie beati Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in 1276-77. 27 Février.

Domino sempiternam. Notum facimus, quod cum nos et administratores ecclesie nostre nomine nostro et ecclesie nostre ex parte una, et vir venerabilis magister Johannes de Fieffes, archidyaconus Morinensis in Flandria, ex altera, super omnibus et singulis causis quas habemus, habuimus vel habere possumus seu potuimus conjunctim vel divisim, coram quibuscumque judicibus ordinariis seu aliis, contra predictum dominum archidyaconum in Flandria ratione sui archidiaconatus, seu idem archidyaconus contra nos, et etiam super jure procurationum, quas idem archidiaconus dicebat et asserebat sibi deberi a nobis, ita videlicet quod pro singulis parrochiis nostris Yprensibus unam procurationem [petebat sibi solvi], item super omnibus et singulis causis motis inter nos ex una parte, et dictum archidyaconum ex altera, tam in curia Morinensi, quam in curia Remensi, superque emendis quibusdam, quas petebat idem archidyaconus et dicebat sibi deberi a nobis, occasione seu causa quorumdam delictorum ab altero nostrum, ut dicebat idem archidyaconus, contra ipsum aut suos perpetratorum, necnon super expensis occasione dictarum factis et que fieri potuerunt, et super expensis faciendis imposterum, et etiam super omnibus aliis et singulis premissa tangentibus, in viros discretos magistrum Jacobum de Stapulis, canonicum Thoraltensem, dominum Nicholaum dictum Mont, concanonicum nostrum et cellerarium ecclesie nostre, necnon magistrum Odonem de Neffles, canonicum Remensem, tanquam in tercium compromiserimus tanquam in arbitros, sub fide et pena in compromissione super hoc confecta contentis; et dicti arbitri, onere compromissi in se suscepto, nos et dictum archidyaconum coram ipsis Parisius citari fecerint ad feriam sextam ante *Letare Jherusalem*, in ecclesia sancti Eligii Parisius, dictum suum sive ordinationem suam aut etiam arbitralem sententiam super hiis, super quibus compromissum est in eos, audituros, sub fide et pena in dicto compromisso contentis, dilectum nostrum magistrum Johannem de Rosebeka, concanonicum nostrum, et Johannem, famulum predicti Nicholai Mont, concanonici et cellerarii nostri, laicum, latores presentium et quemlibet eorum insolidum nostros facimus et constituimus procuratores generales coram dictis arbitris aut duobus ipsorum, ad audiendum dictum, ordinationem sive sententiam arbitralem ipsorum, super hiis, super quibus a nobis et dicto archidyacono compromissum est in eosdem, prout superius est expressum, et ad consentiendum seu ratificandum pro nobis et ecclesia nostra ac nomine nostro, quicquid predicti arbitri vel duo ipsorum super premissis inter nos et dictum archydiaconum duxerint ordinandum seu diffiniendo vel arbitrando proferendum, et omnia alia et singula facienda, que nos faceremus vel facere possemus, si presentes coram dictis arbitris interessemus, et que in talibus requiruntur, ratum et gratum habituri, quicquid per predictos procuratores nostros seu quemlibet eorum insolidum super premissis omnibus et singulis pro nobis et nomine nostro et ecclesia nostra actum fuerit sive factum, promittentes sub ypotheca rerum nostrarum judicatum solvi, si necesse fuerit. In cujus rei testimonium [presentibus litteris] sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, sabbato post *Reminiscere*.

Registr. Rubrum, fol. 123 (en vidimus).

280.

Sententia arbitralis super controversiis habitis inter ecclesiam sancti Martini et magistrum Johannem de Fieffes, archidyaconum Flandrensem in ecclesia Morinensi.

Universis presentes litteras inspecturis N[icholaus], permissione divina prepositus Yprensis, C. Formosellensis et J. Loensis prepositi salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos litteras, quarum tenor subsequitur, vidisse et audivisse sub hac forma (1):

In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem M°. CC°. septuagesimo septimo, indictione quinta, pontificatus domini Johannis pape vicesimi primi anno primo, die lune proxima post dominicam qua cantatur *Letare Jherusalem*, mense martio, venerabiles viri magistri Odo de Nealpha Remensis, Jacobus de Stapulis Thoraltensis ecclesiarum canonici, et Nicholaus Mont, canonicus regularis et celerarius ecclesie sancti Martini Yprensis, Morinensis dyocesis, in causa seu negotio, que vel quod vertitur inter venerabilem virum magistrum Johannem de Fieffes, archydiaconum Flandrensem in ecclesia Morinensi, ex parte una, et religiosos viros Walterum, prepositum sancti Martini Yprensis, ejusdem loci administratores et conventum ejusdem ecclesie, super quibusdam querelis et controversiis, quas habebant insimul, et specialiter super eo, quod idem archidyaconus petierat et petebat quasdam emendas sibi solvi a predictis preposito, administratoribus et conventu, occasione quorundam delictorum a quibusdam eorumdem perpetratorum, necnon et super arreragiis quarundam procurationum, et super expensis factis et faciendis a dicto archidyacono, occasione litium seu causarum motarum inter ipsas partes, tam in curia Morinensi, quam in curia Remensi, quam alibi ex altera, quandam ordinationem, dictum seu sententiam arbitralem fecerunt et protulerunt in scriptis, coram me notario infra scripto et testibus infra scriptis, in modum qui sequitur. Cum vir venerabilis magister Johannes de Fieffes, archidyaconus Flandrensis in ecclesia Morinensi, ex parte una, et religiosi viri Galterus, prepositus ecclesie sancti Martini Yprensis, et ejusdem loci administratores et conventus ex altera, super quibusdam querelis et controversiis, quas habebant insimul, et inter alia specialiter super eo, quod archidyaconus petierat et petebat nomine archidyaconatus sibi solvi a dictis religiosis unam procurationem pro qualibet ecclesia parochiali Yprensi, ratione

1277. 8 Mars.

(1) Cette pièce et les deux précédentes, qui y sont enclavées, ont été données sous un même vidimus, dont le copiste a omis de reproduire la date. Toutefois la transcription du tout au *Registr. Rubrum* prouve que le vidimus est du 13e siècle, et le nom de Nicolas, prévôt de Saint-Martin, permet de le placer entre 1280 et 1289, vraisemblablement en 1287, époque à laquelle cette affaire se représenta devant l'évêque de Térouane.

visitationis, quam habet et habere consuevit in qualibet earumdem, in nos tres, per procuratores ydoneos, compromiserint, prout in compromisso super hoc facto sigillato sigillo curie Morinensis plenius continetur, cujus tenor sequitur in hec verba : « Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis (*et le reste, comme ci-dessus*, n° 278). » nos multarum precum instantia devicti, dictum compromissum seu arbitrium in nos suscepimus, et partes predictas ad certam diem, videlicet ad diem veneris ante *Letare Jherusalem*, duo nostrum, videlicet magistri Jacobus et Nicolaus, Parisius evocarunt. Dicto vero archidiacono, die sibi prefixa, personaliter et Johanne, famulo dicti Nicholai, procuratore dictorum religiosorum, per litteras eorumdem, [sigillatas] sigillo dictorum prepositi et conventus, ut prima facie apparebat, comparentibus, cujus tenor sequitur sub hac forma: « Universis presentes litteras inspecturis Walterus divina permissione prepositus (*voir la suite ci-dessus*, n° 279). » demum die lune post *Letare Jherusalem*, continuata a nobis de consensu partium earumdem de die in diem, archidyacono et procuratoribus predictis usque ad dictam diem lune, ipsis procuratoribus et archidyacono coram nobis personaliter comparentibus, auditis et plenius intellectis que partes dicere et proponere voluerunt, consideratis secundum statum negocii omnibus que nos movere poterant et debebant in hac parte, causarum, questionum, querelarum et negotiorum inter dictas partes motarum sive motorum veritate diligenter inquisita, invenimus et nobis constitit occultata fide, quod dictus archidyaconus tanquam archidyaconus pacifice receptus fuerat pluries ad visitationem in ecclesiis parochialibus, de quibus fit mentio in compromisso, quod etiam in aliis ecclesiis parochialibus archidyaconatus predicti archidyaconi recipiebantur pacifice ad visitationem et procurationem; nec dicti religiosi exemptionem seu privilegium pretenderent per que deberent sue parochiales ecclesie ab hujusmodi visitationibus et procurationibus immunes esse. Nos predicti tres arbitri, videlicet nos magister Odo, de assensu unanimi duorum arbitrorum nostrorum presentium, mandantium et consentientium, communicato bonorum consilio, dicimus seu ordinamus vel arbitramur seu sententialiter diffinimus, quod Flandrensis archidyaconus, nomine archidyaconatus sui et tanquam archidyaconus, de cetero percipiat, habeat unam procurationem in monasterio sancti Martini Yprensis, cum eundem archidyaconum ad dictum monasterium causa visitationis semel in anno contigerit declinare, ad quam eum decrevimus admittendum; quam etiam procurationem plenam et integram dicti religiosi solvere tenebuntur; pro qualibet autem ecclesia parochiali in villa Yprensi a dicto archidyacono visitata, spectante ad dictum monasterium, ad usum et consuetudinem aliarum in archidiaconatu existentium, semel in anno habebit unam procurationem, quam dicti religiosi dicto archidyacono solvere tenebuntur, et quam licebit dicto archidyacono capere in dicto monasterio, vel alibi in villa Yprensi, ubi sibi visum fuerit expedire. Dicti autem religiosi istam habebunt optionem, quod archidyacono solvere poterunt suas expensas, vel quinquaginta solidos parisienses in adventu ipsius, ad querendum sibi necessaria atque suis, pro qualibet ecclesia visitata. Pro expensis autem, arreragiis, dampnis et injuriis seu emendis, per dictum nostrum,

sententiam seu ordinationem eidem archidyacono adjudicamus novies viginti libras parisienses, solvendas et reddendas a dictis religiosis dicto archidyacono terminis inferius annotatis, ipsos religiosos in predicta pecunie quantitate predicto archidyacono condempnantes et taxantes in hunc modum, videlicet pro arreragiis duorum annorum, triginta libras parisienses, pro injuriis seu emendis, quinquaginta libras paris., et pro expensis et dampnis, centum libras paris.; ita tamen quod si dictus archidyaconus sub suo juramento tantum se expendisse vel dampnificatum fuisse dixerit, occasione litium seu causarum predictarum, aut nisi dicti religiosi sibi super hoc remittere voluerint juramentum. Nos ultra summas predictas adhuc viginti libras parisienses eidem archidyacono adjudicamus, et ad hec solvenda eidem archidyacono per nostram sententiam seu ordinationem predictos religiosos sententialiter condempnamus, injungentes predictis religiosis, quod de dictis pecuniarum summis dicto archidyacono vel ejus certo mandato satisfaciant, atque reddant hiis terminis, videlicet medietatem infra instans nativitatem beati Johannis Baptiste, et aliam medietatem infra instans festum omnium sanctorum immediate sequens. Predicta autem et eorum singula observari volumus et mandamus a partibus supradictis, sub pena in prefato compromisso contenta, a parte contra faciente, veniente vel procurante alteri parti solvenda, quociens contra predicta vel eorum aliquod factum, ventum fuerit seu etiam procuratum. Actum Parisius, anno, die et judicibus predictis *et cetera*.

Registr. Rubrum, fol. 122.

281.

Littera de duabus mansuris et peciis terre obligatis in certis redditibus perpetuis. Et ista littera est valde intricata et bene indiget maturo studio (1).

Nous eschevin d'Ypre faisons à savoir à tous, que Jaquemes et Cristiens, qui enfant furent Herbert le filg Herbert, ont en le masure de le maison où Gilles li Rous soloit manoir, el gardin devant le overdraghe et en le maisure de le maisonchele sievant après, chuincquante et seet saus de rente hyritable par an; item en le maisure d'une hale (2) à siis cambres après sievant, jusqu'à le maison Willame le Russe, et en le masure d'une haulte hale qui sta encontre, et une vuide masure qui gist entre cele hale et le maison Huon le pissonnier, en ces trois pieces tresze lib. et sept sauls d'artesiens de rente hiritable par an, saulf chou que Jehans Mont y a trois saus d'artesiens de rente yritable par an, li

1277. Mai.

(1) Réflexion singulière. Ou bien le copiste ne savait pas le français, ou bien l'écriture de l'original était fort mauvaise.

(2) Il est ici fait mention de plusieurs halles, ou lieux servant à recevoir les marchandises des vaisseaux en déchargement dans deux viviers *qui i affierent*. Curieux pour la topographie d'Ypres. A Bruges existait la grande *Water Halle*, à côté de la Grand'place.

quele rente gist tout entirement entre le gardin Nicolon Herbert et l'Ypre en une piece, fors que une ruele va entredeus, et ces deux hales doivent prendre leur aises en deux viviers deriere, qui i affierent; item en le masure de le maison où Michieus de Coilge maint, entre le maison Bouderi le Rous et le maison Willaume Scorbore, et en tout le pourpris ki i afiert, ke devant que deriere, trois mars de rente hyritable par an, les quels rentes li devant dit Jaquemes et Crestiens ont aquis bien et à loy encontre Nicolon Herbert et encontre Margriete se femme par le loy de le ville d'Ypre, et guerp fisent li devant dis Nicoles et se femme as avant dit Jaquemon et Crestiien des rentes avant dites, el lieus devant dis, par devant nous bien et à loy, selonc les us et lez costumes de le ville d'Ypre. Et si est assavoir que li devant dit Nicolez doit les maisons deseure dites tenir estaves, par quoy les rentez deseure dites ne puissent enpiriier, et se riens i falist des rentes deseure dites ès lieus deseure dis, li devant dis Nicolez i a mis en wages devant le porte des Jacobins, où Hues Petit soloit manoir, sour le watreganc, vint et quatre saus d'artesiens de rente hiretable par an. En quele memoire et muniment nous avons ceste chartre saielée de no saiel de le ville d'Ypre. En tesmoignage de ces eschevins Jehan Mont, Pieron de Lo, Symon Poivre, Wautier le Vilain, Hugheloet Croeselin et Michiel de Cassiel. Ce fut fait l'an del incarnation notre seigneur Jhesu Crist mil deus cens soixante diis et sept, el mois de may.

Registr. Novum, fol. 191.

282.

De hospitali Johannis Bardonc. Quod dominus comes dedit licentiam emendi xxv. libras annuatim ad opus misse ibidem.

1277. 14 Juin. Nous Guis, cuens de Flandres et marchis de Namur, faisons savoir à tous, ke nous à notre boin ami Lambert Bardonc, notre borgois de Ypre, avons donné congiet et ottroiet k'il pust acater ou aquerre, où ke il vaura en notre terre de Flandres, dusques à vint et cuinc livrées de terre par an de la monoie de Flandres, pour faire et estoreir une capelerie en le enfermerie des beghines, en le hospitael ke on dist Jehan Bardonc en Ypre, les queles vint et cuinc livrées de terre devant dites, nous, quant acaté ou aquis seront par Lambert devant dit, quitons et avons quité pour Diu de touz serviches de terre à oes le capelerie devant dite, et mandons et commandons à tous nos baillieus de Flandre, ke cius en qui baillie les devant dites vint et cuinc livrées de terre seront aquis ou achateit, à oes le capelerie devant dite, quite et afrankise de touz serviches de terre de par nous, ensi comme deseure est dit. En ties-moignage et en seurteit de la quele chose, nous avonz ches presentes lettres saelées de notre sael, ki furent dounées à Niepe, l'an del incarnation notre Seigneur M. CC. sissante dis et siet, le lundi prochian après le jour saint Barnabé.

Registr. Rubrum, fol. 8.

283.

Littera quod ad preces Walteri dicti cum Manu H[enricus], Dei gratia Morinensis episcopus, auctoritate sua ordinaria ordinavit ecclesiam parochialem sancte Crucis, sitam extra portam Butyri, una cum cymiterio.

H[enricus], Dei gratia Morinensis episcopus, religiosis viris preposito et conventui sancti Martini Yprensis salutem in Domino. Cum nos ad instantiam et petitionem Walteri dicti cum Manu, burgensis de Ypra, de consensu vestro ecclesiam sancte Crucis, sitam extra portam Butyri in villa Yprensi, ordinaverimus auctoritate nostra ordinaria ecclesiam parochialem, eo modo quo alie ecclesie sunt parochiales in villa predicta, ac etiam ordinaverimus quamdam petiam terre in cymiterium dicte parochie, sitam inter curtem hospitalis beate Marie in foro Yprensi et crucem, que dicitur *banliewe* (1), extra portam predictam, et benedixerimus anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo in crastino beati Luce ewangeliste, vobis precipimus et mandamus, quatinus cum idem Walterus sufficienter assignaverit redditus usque ad viginti quinque libras Flandrenses annuas a vobis in perpetuum percipiendas, divina in predicta ecclesia more aliarum ecclesiarum parochialium Yprensium celebretis et celebrari faciatis, exercentes ibidem et exerceri facientes sufficienti modo ea que exerceri in parochialibus ecclesiis consueverunt. Datum anno et die predictis. 1277. 19 Octobre.

Registr. Rubrum, fol. 112 et *Registr. Novum* (2), fol. 153.

Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 377.

284.

Littere castellani et suorum ballivi et hominum recognitio, quod legitime xxv. libre empte fuerunt in decima de Boesinghes a Waltero de le Scaghe, ejus uxore et Philippo de Borre et ejus uxore et filio.

Jou Jehans, castelains de Lyle, faic à savoir à tous chiaus ki ches lettres verront et oront, ke Watiers, fiuz Watier de le Scaghe chevalier, ki fu, et se feme et li feme Philippon de le Boure chevalier, par sen avoet, li quele est hoirs de Watier devant dit, viunrent le devenres devant le jour saint Nicholai, ki novelement est passés, par devant mes homes, c'est à savoir Ghiselin le Per, Jehan le Per, Jehan Platiel de Bunereckes, Jehan le Flamenc et Watier Brot d'Ypre, et par devant men bailliu, c'est à savoir Jehan Clabaut 1277. Décembre.

(1) Dans le *Registrum Novum*: banliuewe.

(2) Le *Registrum Novum* porte en tête de la pièce: *Datum per copiam*.

d'Erkinghehem, le quel je mis en men lieu bien et souffissaument par devant mes homes devant dis, pour toutes choses ki après sunt devisées, faire à loi. Et raporterent li devant dis Watiers et se feme et le feme Philippon de le Bourre chevalier, par son avoet, et werpirent bien et par loi, en le main Jehan men bailliu devant dit et en le presense de mes homes devant només, toute le disme ki gist en le profiee de Bousinghes, ki est dou fief ke Watiers devant dis tient de mi, à oes le eglise de saint Martin d'Ypre, pour canter une messe perpetuelment en le hospitael ke on dist Jehan Bardonc à Ypre, pour l'arme de Jehan Bardonc devant dit. Et quant che fu fait, mes baillius devant dis semonst et conjura mes homes devant noumés, se Watiers et se feme et ses hoirs estoient bien issut et par loi de toute le disme devant dite; et mi hom conjureit de men balliu disent par loy et par jugement, ke Watiers et se feme et ses hoirs estoient bien issut et par loi de toute le disme devant dite, et k'il avoient tant fait, k'il n'avoient mais droit. Et après chou, Jehans mes baillius devant dit, par loi et par jugement de mes homes, rendi le disme devant dite al eglise devant noumée, pour tenir yritaulement et frankement, sans kierke de tous serviches, pour canter le messe devant dite pour l'arme Jehan Bardonc devant noumet perpetuelment en l'hospitael devant dit. Et est à savoir, ke li mere Watier devant dit, de sen gré et de se boine volenteit, par devant mes homes et men bailliu devant dis, quita et par avoet tout le douaire et tout l'asenement, et tel droit k'ele avoit ou avoir poroit en le disme devant dite. Toutes ches choses devant devisées ont esté faites par le mant de men trechier seingneur Guion, conte de Flandres et marchis de Namur, cui lettres pendant jou euc. Et pour chou ke toutes ches choses soient fermes et estables, ai jou ches presentes lettres saielées de men saiel. Che fu fait l'an del incarnation Jhesu Crist mil deus cens sissante dis et siet, el mois de decembre.

Registr. Rubrum, fol. 9.

285.

Littere prepositi et conventus, quod divina facient celebrari in hospitali Johannis Bardonc.

1278
6 Juillet.

Universis presentes litteras inspecturis Johannes, divina permissione prepositus ecclesie sancti Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Universitati vestre tenore presentium volumus esse notum, quod cum Johannes dictus Bardonc, quondam burgensis de Ypra, ac Folquina, ejus uxor defuncti, quoddam hospitale in honore beati Thome apostoli construxissent, situm extra portam que vulgariter vocatur Hangwarchporte, in strata de Zinnebeke versus meridiem, infra metas parochiarum nostrarum Yprensium, quod vulgariter appellatur infirmaria Beghinarum, petentes a nobis instanter, ut ad reverentiam et honorem divini nominis et ob remedium animarum tam suarum quam predecessorum suorum, ibidem divinum officium celebrari, prout in aliis hospitalibus

Yprensibus consuetum est fieri, faceremus, capellano et custode in dicto hospitali a nobis ad hoc specialiter deputandis, prius redditibus sufficientibus ad sustentationem capellani et custodis predictorum, prout moris est, assignatis; cumque nundum perfecto negocio, eisdem Johanne ac Folquina ejus uxore sublatis de medio, Lambertus dictus Bardonc, frater dicti Johannis ac executor, ad dictum tam pium opus ab eisdem specialiter deputatus, a nobis iterato humiliter petiisset, ut in hac parte dictorum Johannis ac Folquine petitionem opere compleremus, nos dictam petitionem honestam et sanctam esse ac multis proficuam reputantes, concessimus ac concedimus eidem Lamberto, ut in hospitali predicto divinum officium faciamus imperpetuum celebrari in hunc modum, quod capellanus, qui in dicto hospitali pro tempore erit, diebus dominicis et festivis missam et vesperas cum nota, ceteras horas sine nota, aliis diebus tam missam quam ceteras horas canonicas legere debeat vel cantare; nec plusquam semel a missarum sollempniis cessari poterit vel debebit in septimana. Et nos prepositus et conventus predicti premissa omnia et singula promittimus imperpetuum nos facturos et fieri procuraturos, et servaturos promissionem predictam, et ad ea omnia firmiter et inviolabiliter observanda nos et ecclesiam nostram specialiter obligamus. Omnes autem oblationes, que provenient ad altare in capella hospitalis predicti, ad nos seu ecclesiam nostram integraliter pertinebunt. Si vero alias cerei vel candele provenerint extra usum ipsius capelle, seu residuum usus in capella faciendi, inter nos et dictum hospitale equis partibus dividentur. Nec truncus ponetur in hospitali predicto. Quicumque autem preerit hospitali predicto, jurare debet in suo ingressu coram preposito, qui pro tempore erit, quod nec verbo nec facto nec aliquo signo fraudem vel dolum committet, ut nobis seu ecclesie nostre predicte circa oblationes predictas in aliquo detrahatur, seu a subditis suis fieri scienter permittet. Recognoscimus autem nobis satisfactum esse sufficienter a parte dictorum Johannis ac Folquine, ad sustentationem capellani et custodis prefatorum, in bonis decimalibus nobis seu ecclesie nostre bene et legitime traditis ac deliberatis. Recepimus enim ad opus sustentationis perpetue tam capellani quam custodis predictorum, a parte dictorum Johannis et Folquine, decimam que fuit Walteri dicti de le Scaghe, filii quondam Walteri de le Scaghe militis, jacentem in parochia de Bousinghes infra patronatum nostrum; que decima a nobili viro castellano Insulensi in feodum tenebatur. In cujus rei testimonium presentes litteras scabinis Yprensibus, utpote defensoribus seu rectoribus hospitalis predicti, tradidimus sigillis nostris propriis sigillatas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, feria quarta post festum beati Martini estivalis.

Registr. Rubrum, fol. 10.

—

286.

Littere quod Egidius Clisse et ejus uxor, Marota ejus filia et ejus maritus possint coram notario recognoscere.

1278. 20 Sept. Magister Guido de Ravenel, canonicus et officialis Morinensis, dilectis et fidelibus suis Herberto de Atrebato et Thome de Sempi, curie Morinensis notariis, salutem in Domino. Ex parte religiosorum virorum amministratorum et provisorum ecclesie beati Martini Yprensis nobis extitit intimatum, quod cum Egidius dictus Clisse de Longhemarc, ejus uxor et filia dicti Egidii et ejusdem filie maritus quasdam recognitiones, quitationes, donationes, guerpitiones et renuntiationes cujusdam prati seu aliarum rerum coram vobis seu altero vestrum facere intendant ecclesie beati Martini predicte, ut super premissis coram vobis seu altero vestrum factis publicum sigillo nostre curie Morinensis sigillatum fieri valeat instrumentum, vobis et alteri vestrum in solidum vices nostras totaliter et liberam facultatem committimus in premissis et premissa tangentibus, tenore presentium mandantes quatinus accedentes ubi propter hoc fuerit accedendum, vocatis coram vobis qui propter hoc fuerint evocandi, dictas quitationes, recognitiones, donationes, guerpitiones et renuntiationes dicti prati et aliarum, si que fuerint, rerum a dicto Egidio et suis consortibus vice nostra et loco nostri ad opus dicte ecclesie et voluntatem ipsorum Egidii et consortum super premissis et premissa tangentibus diligenter audiatis, et alia, si que circa talia fuerint audienda ac etiam facienda in premissis. Que omnia coram vobis circa premissa et premissa tangentia facta in scriptis redacta sub sigillis vestris nobis, quam citius poteritis, fideliter remittatis, ut super premissis omnibus, ut dictum est, sigillo curie Morinensis sigillatum publicum fieri valeat instrumentum. Ad hec autem exequenda unus vestrum alium non expectet. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo octavo, in vigilia beati Mathei apostoli.

Registr. Rubrum, fol. 56.

287.

Littere super dote uxoris Walteri de le Scaghe. Quod se tenet pro contenta.

1278. Novembre. Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis salutem in Domino. Cum, ut dicitur, Joannes dictus Bardonc defunctus, quondam frater Lamberti dicti Bardonc, opidani Yprensis, compos mentis sue, anime sue saluti providere desiderans dudum, tempore dum vivebat, fundavisset Ypris quoddam hospitale, quod hospitale infirmaria Beghinarum Ypris publice nuncupatur, et pro quadam missa inibi singulis diebus celebranda idem Johannes quandam pecunie quantitatem pro redditu annuo ad opus dicte misse celebrande comparando penes

dictum Lambertum reliquisset, et nuper idem Lambertus ultimam predicti Johannis quondam fratris sui affectu benivolo prosequi desiderans voluntatem, quandam decimam comparaverit erga Walterum de Scagha armigerum, nomine et ad opus ecclesie sancti Martini Yprensis, cujus loci prepositus et conventus debent, ut dicitur, mediante dicta decima sita apud Bousinghes, quam idem Walterus tenere solebat in feodum de castellano Insulensi, facere celebrari, notum facimus, quod personaliter constituta coram dilecto et fideli nostro, Philippo Pontii clerico, curie Morinensis notario, ex parte nostra destinato et quoad hec vices nostras gerente, domicella Yzabella, uxor dicti Walteri, recognovit coram dicto notario, quod idem Walterus de ipsius domicelle voluntate pariter et consensu predictam decimam eidem Lamberto Bardonc vendidit et etiam werpivit rite et ad legem, et quod ipsa habet se pro contenta de dote, que sibi competebat aut competere ratione quacumque sive causa poterat in decima memorata. Propter quod ipsa domicella promisit fide et juramento in manu dicti notarii, quod contra premissas venditionem et werpitionem per se vel per alium non veniet in futurum, et quod contraveniendi artem vel ingenium non inveniet sive causam, ratione dotis aut alia quacumque ratione sive causa, et quod nichil juris in eadem decima ratione quacumque de cetero reclamabit; quitans et abjurans, nomine et ad opus ecclesie sancti Martini Yprensis, omne jus et omnem actionem, quod vel que ratione dotis, dotalicii, victus vel assignamenti aut alia quacumque ratione sive causa competebat aut competere poterat in eadem. Et quoad premissa omnia et singula eadem domicella, de auctoritate et consensu predicti Walteri mariti sui, coram dicto notario propter hoc presentis, et eidem domicelle antecedentia et consequentia faciendi auctoritatem prestantis et in hiis penitus consentientis, renuntiat omni privilegio crucis sumpte seu etiam assumende, omni exceptioni doli mali, fori, omni juris auxilio tam canonici quam civilis, exceptioni vis et metus, quoniam premissa fecit spontanea et sine coactione qualibet, sicut dicit, ac pro sua utilitate evidenti, necnon omnibus deceptionibus, defensionibus, cavillationibus, consuetudinibus et statutis et generaliter omnibus exceptionibus, que contra presens instrumentum et contenta in eodem objici possent vel opponi seu etiam imposterum allegari, et que dicte domicelle possent competere et eidem ecclesie sancti Martini obesse in premissis, juridictioni curie Morinensis se quoad hec spontanee suppouendo. Et vult et concedit ipsa domicella, quod si in presenti instrumento aliqua fuerit dubietas aut etiam obscuritas, super hiis interpretationem fieri et pro dicta ecclesia intelligi diligentius universa. In cujus rei testimonium et munimen nos ad relationem dicti notarii, cujus factum in hac parte laudamus, confirmamus (1), etiam ac si factum esset coram nobis approbamus, presentibus litteris apponi fecimus sigillum curie Morinensis. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo octavo, mense novembri.

Registr. Rubrum, fol. 10.

(1) Ms. approbamus.

288.

Littera super quitatione centum et quinquaginta librarum nobis in depositum datis, sed jam a nobis persolutis.

1278-79. 26 Février. Universis presentes litteras inspecturis Elisabet, abbatissa de Valle Celi juxta Ypram, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum Walterus dictus Arbor et Katarina ejus uxor defuncti, pro remedio animarum suarum centum et quinquaginta libras Flandrenses legavissent, ad emendos redditus ad opus capellanie in monasterio nostro deserviende, et vir religiosus prepositus sancti Martini Yprensis dictos denarios habuisset in depositum, inventaque emptione reddituum seu proventuum ad opus capellanie predicte (1) et facta, idem dominus prepositus, de consensu et voluntate executorum testamenti dictorum Walteri et Katarine, de predictis denariis penes se depositis vel penes predecessorem suum, ad requisitionem nostram nobis amicabiliter persolvit centum libras parisienses, novem minus, in pecunia numerata, quam pecunie summam nos converti fecimus in utilitatem et profectum capellanie predicte, et in solutionem proventuum ad opus ejusdem emptorum. Et de predictis centum libris, novem minus, ipsum dominum prepositum et ejus successores necnon ecclesiam suam predictam quitamus et quitos clamamus infuturum, renuntiantes sub fidei religione exceptioni non numerate pecunie, non solute, non tradite, non converse in utilitatem ecclesie nostre, exceptionibus doli vel fraudis, omni privilegio a nobis vel ordine nostro impetrato vel impetrando, omni juris auxilio canonici vel civilis et omnibus exceptionibus tam juris quam facti, que nobis possent prodesse et dicto domino preposito vel ejus successoribus seu ecclesie sue nocere, promittentes sub eadem religione, quod contra premissa vel aliquod premissorum per nos vel per alium non veniemus in futurum, nec artem queremus vel ingenium, per quod dictus prepositus vel aliquis de ecclesia sua occasione solutionis predicte in futuro molestetur. Et ut plenius omnibus notum fiat, presens scriptum inde factum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Et quia premissis dominus Henricus de Thoroud miles et solutioni predicte consensum suum apposuit, presentibus litteris sigillum idem dominus Henricus, executor testamenti predictorum Walteri et Katarine, una cum fratre Johanne Moreel et nobis duxit apponendum. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, dominica qua cantatur *Reminiscere*, mense februario.

Registr. Rubrum, fol. 38.

---

1) Ms. predicta.

289.

Littera quod Egidius Clisse et ceteri recognoverunt se dedisse duas pecias prati in Longemarc; una continet quatuor lineas et altera unam mensuram.

Viro venerabili et discreto officiali Morinensi, domino suo, Herbertus de Atrebato et Thomas de Sempi, curie Morinensis notarii, salutem in Domino. Noverit vestra discretio mandato vestro presentibus appenso, que coram nobis acta, dicta et promissa sunt secundum tenorem ejusdem mandati, vobis remittimus fideliter sub sigillis nostris. Comparentibus coram nobis propter hoc personaliter apud Ypram Egidio dicto Clisse de Longhemarc, et Aelide ejus uxore, Marota, filia naturali dicti Egidii, et ejusdem Marote marito, recognoverunt coram nobis loco vestri se concessisse et dedisse, quitasse et guerpivisse ecclesie conventuali beati Martini Yprensis et ad opus ejusdem duas pecias prati sitas in parochia de Longhemarc, in loco qui dicitur Vogheline mersch, que fuerunt quondam Heissie, matris dicti Egidii et avie dicte Marote, quarum peciarum una continet quatuor lineas terre pratalis et triginta sex virgas, et fuerat prius Henrici Laurins et Johannis ejus fratris, et altera pecia terre continet unam mensuram et quatuordecim virgas prati juxta vadum, in puram et perpetuam elemosinam a predicta ecclesia imperpetuum tenendas, habendas et imperpetuum possidendas, et quicquid juris usque nunc in dictis peciis prati habuerunt vel habere potuerunt ratione alicujus formorture, excambii vel jure hereditario, seu per contractum emptionis vel venditionis, vel per possessionem seu dominium alicujus rei, seu alia qualicunque ex causa, prefate ecclesie beati Martini dederunt, concesserunt, dant et concedunt, guerpiverunt et quitaverunt coram nobis loco vestri, guerpiunt et quitant et se omnino de eisdem peciis prati devestiverunt et effestucaverunt, et dictam ecclesiam investiverunt et in possessionem miserunt, quantum in eis fuit, propria et spontanea voluntate, nulla vi vel coactione seu sponsione alicujus ad hoc ducti, promittentes, fide prestita corporali, quod contra predictas recognitionem, quitationes, donationes, guerpitiones per se vel per alium non venient infuturum; nec artem querent vel ingenium, per que dicta ecclesia super premissis vel aliquo premissorum de cetero molestetur vel perturbetur; renuntiantes expresse, fide data, dicte mulieres doti sue vel donationi propter nuptias, et omnes insimul prenominati omnibus exceptionibus doli vel fraudis, pecunie promisse nec tradite nec solute, deceptionis, lesionis, exceptioni minoris etatis et omnibus exceptionibus tam juris quam facti, auxilio jurisconsulti Velleiani et divi Adriani, et omni juris auxilio tam canonici quam civilis, omnique privilegio tam crucis assumpte quam assumende, et omnibus defensionibus, que sibi possent prodesse et dicte ecclesie nocere, fidei juramento interveniente; hoc etiam addito premissis, quod prefati Egidius et ejus uxor collationem seu legatum, quod dicta Heissia, mater Egidii, in extremis et in vita sua fecit ecclesie predicte de dicto prato, laudant et approbant et benivolum in hoc

1278-79 4 Mars.

prebent consensum pariter et assensum, et recognoscunt, quod dominus Petrus Clisse, nunc canonicus ecclesie predicte sancti Martini, dictam peciam prati in Vogheline mersch acquisivit titulo emptionis et venditionis ab Henrico et Johanne Laurin, fratribus predictis, et promiserunt fide data, quod de dicta pecia terre pratalis et de alia, quam acquisierunt eodem titulo a predictis Marota et ejus marito, dictam ecclesiam imperpetuum gaudere permittent pacifice et quiete, nec aliquid juris in eis de cetero reclamabunt; hoc salvo, quod ipse Egidius toto tempore vite sue dictas pecias prati tenebit in enphiteosim a dicta ecclesia et ex parte dicte ecclesie, mediantibus duobus solidis paris. annuatim, quos nomine census tanquam censuarius dicte ecclesie de dictis peciis prati solvet predicte ecclesie vel ejus certo nuntio, in festo beati Bavonis et Remigii, et quolibet anno et coram vicinis et aliis quibuscumque placuerit predicto nuntio. Idem Egidius recognoscet se dictas pecias prati tenere et possidere nomine predicte ecclesie et ex parte ejusdem, tamquam censuarius ejusdem, et quod propter hoc in recognitionem dictum censum solvere tenetur. Et hec acta sunt et facta et recognita et promissa et dicta coram nobis vices vestras gerentibus in hac parte, domine officialis Morinensis, consentientes prenominati omnes, ut super premissis omnibus publicum fiat instrumentum, sigillo curie Morinensis sigillatum, et in dicto instrumento apponantur omnes articuli vel conditiones, qui vel que pro predicta ecclesia facere possent seu valere, quamvis de hoc supra non sit actum vel tactum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, sabbato ante dominicam qua cantatur *Oculi mei*.

Registr. Rubrum, fol. 56.

290.

Littera approbationis omnium premissorum.

1278-79 21 Mars. Universis presentes litteras inspecturis magister Guido de Ravenel, canonicus et officialis Morinensis, salutem in Domino. Notum facimus, quod Egidius dictus Clisse de Longhemarc et Aclidis ejus uxor, Marota filia naturalis dicti Egidii, et ejusdem Marote maritus propter hoc apud Ypram comparentes et constituti coram dilectis et fidelibus nostris Herberto de Attrebato et Thoma de Sempi, curie Morinensis juratis notariis, ad hoc a latere nostro specialiter destinatis, recognoverunt, coram dictis notariis loco nostri et vices nostras quoad hoc gerentibus, se concessisse et dedisse, quitasse et guerpivisse ecclesie conventuali beati Martini (*le reste comme dans la lettre précédente* (1) *jusqu'à* solvere tenetur). Que omnia et singula premissa in rescriptione dictorum notariorum et litteris nostre curie hiis presentibus annexis plenius continentur. Que etiam omnia et

(1) Sauf quelques légers changements de forme, dont quelques-uns ont été mis à profit par nous pour le texte qui précède.

singula premissa coram dictis notariis a latere nostro missis recognita, promissa, data, guerpita, legata, quitata et renuntiata, et omnia alia et singula facta auctoritate curie Morinensis approbamus, tamquam coram nobis facta laudamus et confirmamus, et volumus ea imperpetuum habere vigorem ac roboris firmitatem. Ob quam causam, ad instantiam et supplicationem dictorum Egidii et aliorum prenominatorum, super premissis coram dictis notariis nostris, quibus merito fidem adhibemus factis, fieri fecimus presens publicum instrumentum sigillatum sigillo curie Morinensis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, feria tercia ante ramos palmarum.

Registr. Rubrum, fol. 57.

291.

Privilegium quod decanus et presbyteri parochiales procurationes sigillare possunt.

Universis presentes litteras inspecturis H[enricus], Dei gratia Morinensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod nos damus potestatem et mandatum religiosis viris decano ecclesie sancti Martini Yprensis et omnibus rectoribus ecclesiarum Yprensium sigillandi procuratoria, in omnibus causis motis et movendis in curia nostra Morinensi, et volumus ac precipimus, quod procuratoria ab eisdem sigillata in omnibus et singulis premissis in curia nostra Morinensi predicta obtineant roboris firmitatem. Revocamus insuper potestatem a nobis presbytero de Nortscotes super premissis concessam. In quorum premissorum testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono, die lune post nativitatem beate Marie virginis. 1279. 11 Sept.

Registr. Rubrum, fol. 112.

292.

Littera domini episcopi quod Johannes Bartierre decimam quitavit in Reningels.

H[enricus], Dei gratia Morinensis episcopus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quod in nostra presentia personaliter constitutus Johannes clericus dictus Baratiator, filius Walteri de Rininghels dicti Baratiatoris, recognovit quod Walterus predictus ejus pater vendidit ecclesie sancti Martini Yprensis bene et legitime et pro justo precio, Waltero predicto ad plenum tradito et soluto ab ecclesia predicta, videlicet centum et quinquaginta libris parisiensibus, decimam suam sitam in parochia de Rininghels, quam tenebat a domino Johanne de Rininghels milite in feodum, et quod idem Johannes predicte venditioni suum consensum prebuit pariter et assensum, et quod dicta venditio rite, secundum quod moris est, fuerat celebrata, et quod prefatus Walterus et idem Johannes dictam decimam predicte ecclesie sancti Martini Yprensis deliberaverant ab eadem in perpetuum possidendam, et guerpiverant 1279. 11 Sept.

cum omni jure, quod in eadem habebant vel habere poterant ex quacunque causa, bene et ad legem, adhibitis omnibus, que in talibus requiruntur; et hec omnia et singula in litteris curie Morinensis dicuntur contineri. Recognovit etiam prefatus Johannes coram nobis, cum ipse occasione decime predicte tam per se quam per alios post predictam venditionem plures movisset questiones, rixas, contentiones et plures alias altercationes contra ecclesiam predictam injuste, quod voluit pt debebat et prout tenebatur, quod omnes questiones, rixe, contentiones et alie altercationes, que mote fuerunt usque nunc et de cetero possent suboriri occasione decime supradicte, essent penitus extincte et etiam annullate; et ipse Johannes dictam decimam ecclesie predicte quitavit et adhuc quitat coram nobis spontanee, a dicta ecclesia in perpetuum possidendam pacifice et quiete, sine omni exactione cum omni jure quod in ea posset de cetero reclamare; promittens, fide data in manu nostra, quod contra hujusmodi quitationem per se vel per alium non veniet in futurum, renuntians sub eadem fidei datione omni juri quod habebat vel quod habere poterat seu poterit in futurum ex quacumque causa in decima supradicta. Renuntiavit etiam exceptionibus doli, deceptionis, lesionis, non numerate pecunie, non tradite, non solute, omni juris et legis cujuslibet auxilio, omni privilegio et omnibus aliis, que possent ipsum Johannem juvare et nocere ecclesie predicte in premissis, se, bona sua et successores suos, quantum ad premissa et quodlibet premissorum, jurisdictioni nostre et curie nostre Morinensi specialiter supponendo, in quocunque loco, statu vel habitu fuerit inventus. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum et datum apud Ypram, anno M°. CC°. LXX°. nono, feria secunda post nativitatem beate Marie virginis, mense septembri.

Registr. Rubrum, fol. 73.

293.

Littera episcopi Henrici, ut parochiani frequentent ecclesias parochiales.

1279. 14 Octobre. Henricus, Dei gratia Morinensis episcopus, venerabili viro et karissimo suo in Cristo Nicholao, Yprensi preposito, salutem et sinceram in Domino caritatem. Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod quidam ex parochianis vestris quasi pro consuetudine habent, ut ad ecclesias suas raro vel nunquam veniant, et eas maxime hiis diebus evitent, quibus predicari consuevit populo verbum Dei. Quia vero consuetudo ista reprehensibilis valde et periculosa esse dinoscitur, et ex ea mala gravissima, si duraverit, nascitura non immerito formidentur, vobis firmiter injungendo mandamus, quatinus in omnibus parochiis Yprensibus parochianos vestros publice moneri faciatis, ut singuli eorum singulis dominicis et festivis diebus ad proprias ecclesias veniant, et ibi cum divinis officiis audiant verbum Dei, nisi rationabili causa fuerint impediti. Quod si aliqui ex parochianis vestris hujus salubris ammonitionis contemptores inventi fuerint, et a vobis sufficienter moniti super contemptu hujusmodi, qui carere non videtur scrupulo heretice pravitatis, coram vobis et decano nostro cristianitatis Yprensis se purgare noluerint, iterum moneatis contemptores primo, secundo

et tercio diligenter, ut super hujusmodi contemptu competenter se purgent et ad ecclesias suas supradictas veniant, et easdem frequentent, ut supra dictum est, eisdem intimantes, quod si monitioni vestre parere neglexerint, ad excommunicationis sententiam in eos perferendam et alias contra ipsos, prout acrius poterimus, secundum juris exigentiam procedemus. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono, in crastino synodi hyemalis (1).

Registr. Rubrum, fol. 111.

294.

De hospitali Petri Broederlam. Item quod scabini Yprenses promiserunt quod facerent solvere nobis xxij. libras annuatim.

1279. 15 Octobre.

Universis presentes litteras visuris Nicholaus, Dei pacientia prepositus ecclesie sancti Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Universitati vestre tenore presentium volumus esse notum, quod nos promisimus ac nos promisisse recognoscimus Petro dicto Broederlam ac Beatrici ejus uxori, quondam burgensibus Yprensibus, quod in hospitali ab ipsis constructo in honore beati Johannis Baptiste, in parochia sancti Petri Yprensis, de consensu nostro, ac etiam approbato per reverendum patrem nostrum H[enricum], Dei gratia Morinensem episcopum, cujus hospitalis capella per eundem patrem nostrum reverendum est consecrata, divina cotidie celebrari, videlicet missam et horas canonicas diebus dominicis et festivis cum nota, aliis vero diebus sine nota, imperpetuum faciemus, ibidem presbytero et custode ad faciendum premissa sub expensis nostris ponendis. Oblationes autem ad manum presbyteri venientes seu venture sine contradictione aliqua nostre erunt. Si quid autem hospitali predicto seu infirmis ejusdem hospitalis legatum seu in elemosinam datum fuerit, ipsius hospitalis et remanebit et in usus ibidem decumbentium convertetur ac hospitalis predicti. Cereos et candelas accensos vel accensas in hospitali predicto ex elemosina provenientes, cum extincti seu extincte fuerint non ulterius accendende, inter nos et hospitale predictum equaliter dividemus. Nos vero scabini Yprenses reverendo patri nostro predicto preposito ac ejus conventui, nomine hospitalis predicti, promittimus nos compulsuros provisores seu procuratores hospitalis predicti, prout per legem ville Yprensis poterimus, ad solvendum singulis annis imperpetuum pro missa et ceteris divinis officiis in dicto hospitali, ut dictum est, celebrandis, viginti et duas libras annuas Flandrensis monete, pro sustentatione presbyteri et custodis, qui in dicto hospitali debebunt, ut dictum est, deservire, quousque dicti provisores seu procuratores redditus usque ad viginti duas libras annuas predicte monete invenerint dictis preposito et conventui assignandos. Poterunt autem dicti provisores dare et assignare dictis preposito et conventui dictas viginti duas libras particulariter, dum tamen non minus quam centum solidos annuos simul et infra duas leucas non ultra a

(1) Sur le jour du synode d'hiver voir ci-après un acte notarié du 13 octobre 1344.

villa Yprensi. Si autem contentionem suboriri contingat super estimatione vel valore dicti redditus assignati in parte vel in totum, dicta contentio terminari debebit per prepositum predictum ac advocatum Yprensem, seu per substituendos ab ipsis, qui de consensu partium exnunc ad hoc sunt specialiter deputati, cum potestate talia faciendi, reverendo patre nostro Morinensi episcopo, qui pro tempore erit, si discordes dicti prepositus et advocatus fuerint seu ab ipsis substituti seu substituendi, *daturo* (1) tercium, cujus sententie una cum sententia alterius standum erit. Redditu autem predicto viginti duarum librarum Flandrensium annuarum dictis preposito et conventui assignato particulariter seu in totum, extunc hospitale predictum seu provisores vel procuratores predicti, nomine hospitalis prefati, imperpetuum a solutione dicti redditus erunt liberi et immunes pro modo assignationis facte, et dicta assignatio statim plenam liberationem dicto hospitali [et] ejus procuratoribus seu provisoribus pariet, extunc omni contradictione cessante. Debet autem provisor dicti hospitalis, sive sit vir sive femina, jurare fidelitatem tam ecclesie sancti Martini Yprensis quam hospitali predicto, nec dolum nec fraudem committet in officio hospitalis predicti. In cujus rei testimonium et nos prepositus et conventus predicti, premissa omnia et singula, prout superius sunt expressa, promittimus nos bene et legitime servaturos, et ad ea imperpetuum adimplenda et firmiter observanda nos et ecclesiam nostram specialiter obligamus. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra propria duximus apponenda. Nos vero scabini predicti in memoriam eorum que supra expressimus, sigillum nostrum commune ville Yprensis duximus presentibus apponendum. Datum et actum anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono, dominica ante festum beati Luce ewangeliste.

Registr. Rubrum, fol. 7.

295.

Littera domini Walteri de Heule, nunc domini de Reningels, quod Johannes Bartiere guerpivit nobis dictam decimam iterato.

1279. Novembre. Je Wautiers de Heule, chevaliers, fais savoir à tous ke Jehans li Bartheres, fieus Wautier le Bartheur et hoirs aisnés, par devant moy et par devant mes homes à chou apelés, werpi et se defestuca, selonc le loy del pais, à le glise oes de saint Martin d'Ypre, le disime ki gist besud le beke, dedens le paroche de Rininghels, et icele glise en fu ravestie et i entra par loy et par droit de cele disme, ke on tient en fief jà fu de mon signeur Jehan de Rininghels chevalier, et se le tient on ore de nous, et nous et chil sire Jehans et ses fiex le tenons et tenismes de mon signeur l'avoé de Bethune, et il de ma dame le contesse de Flandres. Et promist cil Jehans li Bartheres ke jamais encontre ne venra ne par lui ne par autre, ne le glise grevera de chele disme, ki fu son pere, et bien reconnut ke ses peres l'ot vendue et guerpie par devant à le

(1) Ms. daturum.

glise de saint Martin, et k'il i mist son otroi par loy et par le justice seculere, et k'il en douna lettres de le curt de Terewane, et quankes i fist proussedi contre le glise, che fu à son tort, et reconnut ke bien et loiament li eglise en fu devant en tenure, et ke bones lettres et loiaus en ot et encore a, et veut ke d'or en avant ne il ne autre ne l'en puist grever ne calengier ne à loy ne à cristienté, ne riens n'i claime ne clamera, mais par sa boine volunté cele disme clama il quite à le glise perpetuelment, sans nule force, sans nul malengien, et jugierent mi home k'il le poot bien faire, et k'il bien le fist par droit et par loy. Et je, kom sires, l'ottroi et grée et confirme et promis ke, tant kom en mi est, l'arai ferm et estable. Et en tesmognage de ces choses j'ai ces lettres saelées de mon seel. En l'an del incarnatioe nostre Segneur M. CC. soissante dis et nuef, en mois de novembre.

Registr. Rubrum. fol. 73.

296.

Principium donationis Margarete Bekude.

1279. 24 Décemb.

Magister Guillelmus de Boiaco, canonicus et officialis Morinensis, dilecto et fideli nostro Cristiano de Balliolo clerico, notario in curia Morinensi, salutem in Domino. Cum Margareta dicta Beckude, parochiana sancti Petri Yprensis, velit et intendat, ut dicitur, dare aut recognoscere se dedisse in puram elemosinam, pro salute anime sue et in remissione suorum peccaminum, ecclesie sancti Martini Yprensis in testamento suo aut in ultima voluntate sua aut alias quoquo modo centum libras parisienses coram nobis, et de dictis centum libris parisiensibus facere assignamentum ecclesie predicte bonum et legale ad quamdam terram seu terras sive redditus hereditarios ejusdem Margarete; et cum ipsa Margareta sit propter etatem maturam debilitata et impedita ac alias canonice excusata, ut dicitur, quod non possit accedere apud Morinos coram nobis, dictas donationes, recognitiones et assignationem et alia easdem tangentia factura, tibi notario predicto tenore presentium damus in mandatis, quatinus accedas personaliter ubi propter hoc fuerit accedendum, voluntatem dicte Margarete, donationes, recognitiones et donationum suarum assignamentum et alia, quecunque coram te voluerit facere, dicere et ordinare ad opus ecclesie memorate diligenter audias et in scriptis redigas, quantum ad premissa omnia et singula premissorum et eadem premissa seu eorum alterum tangentia, liberam facultatem dantes et vices nostras specialiter committentes. Que omnia et singula circa premissa et premissa tangentia a dicta Margareta ad opus dicte ecclesie, et qualiter coram te fuerint acta, dicta et ordinata, nobis, quam citius poteris, rescribere non omittas, sub appensione sigilli tui, ut super hiis, que circa premissa et premissa tangentia coram te, et eo modo quo fuerunt dicta, acta et ordinata, si dicta Margareta voluerit et petierit, publicum fieri valeat instrumentum sigillo Morinensis curie sigillatum. Datum anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono, in vigilia nativitatis Domini.

Registr. Rubrum, fol. 51.

297.

De octo mensuris terre in Formezelles, juxta molendinum ad ventum, nobis datis a Margareta Bekude.

1279. 31 Décemb. Viro venerabili et discreto domino suo reverendo domino officiali suus Cristianus de Balliolo clericus, in curia Morinensi notarius, promptitudinem servicii cum omni reverentia et honore. Noverit discretio vestra, quod ego ad mandatum vestrum presenti mee rescriptioni annexum, mihi commissum, personaliter accessi apud Ypram, prout in dicto mandato vestro vidi contineri, et ibidem Margareta dicta Beckude, parochiana sancti Petri Yprensis, coram me personaliter constituta, compos animi et sane mentis, recognovit coram me se dedisse, concessisse, donasse et contulisse, et ex habundanti coram me adhuc dedit, concessit, contulit et donavit in puram elemosinam, donatione inter vivos, pro salute anime sue, in remissione suorum peccaminum et suorum antecessorum, ecclesie beati Martini Yprensis octo mensuras terre ipsius Margarete, jacentes in parochia de Formezeles, juxta molendinum ad ventum prepositi et conventus ecclesie Formezelensis, versus occasum solis a dicto molendino, in duabus peciis terre vel una earumdem meliori, dum tamen illa octo mensuras terre in se contineat, quarum duarum peciarum terre una incipit in longitudine a terra in qua dictum molendinum edificatum est sive situatum, et extendit se usque ad magnum vicum, qui tendit subtus molendinum predictum versus villam Yprensem, et ex alia parte dicti magni vici seu strate publice, alia pecia terre ipsius Margarete a dicto vico tendit in longitudine versus occidentem, cujus pecie terre in parte occidentali sunt confines terra Johannis dicti Tremere, terra Willelmi Scat et terra Egidii de Capella, et in parte meridionali terra Johannis Aucelmi, et in parte septemtrionali terra Trisse dicte Scoreboets, sororis dicte Margarete, cum fructibus, proventibus et emolumentis ex dictis octo mensuris terre a dicta ecclesia perpetuo percipiendis post mortem ipsius Margarete, vel centum libras parisienses post decessum ejusdem Margarete ab heredibus suis dicte ecclesie tradendas seu persolvendas; tali conditione adjecta, quod si heredes dicte Margarete infra annum post decessum ejusdem de dictis centum libris parisiensium non satisfecerint competenter ecclesie memorate, dicte octo mensure terre cum fructibus et emolumentis predictis ex causa predicta dicte ecclesie perpetuo remanebunt; promittens dicta Margareta, fide et juramento in manu mea corporaliter prestitis ab eadem, quod contra predictas donationes seu concessiones per se vel per alium non veniet nec venire procurabit vel faciet in futurum aliqua arte, ingenio, modo, medio sive causa, immo premissa, prout superius sunt expressa, sub dictis fide et juramento, tenebit inviolabiliter et servabit; renuntians expresse dicta Margareta, quoad premissa, exceptioni doli mali, privilegio crucis assumpte vel assumende, et ne possit dicere se imposterum ab aliquo fore deceptam, et omnibus aliis privilegiis, gratiis, litteris, indulgentiis a quocumque prelato vel principe

impetratis vel impetrandis, et omni juris tam canonici quam civilis auxilio et etiam facti, que possent dicte ecclesie obesse in premissis et eidem Margarete prodesse, si vellet, quod absit, aliquociens premissis contraire; volens et supplicans, ut super premissis melius et fortius quod possit, publicum fiat instrumentum sub sigillo curie Morinensis; et mediantibus premissis prepositus et conventus ecclesie sepedicte promiserunt fideliter eidem Margarete, quod de annuo redditu, quem dicta Margareta ab ipsis emerat ad vitam suam, ei, terminis in litteris sigillis dictorum prepositi et conventus sigillatis super hoc confectis penes dictam Margaretam existentibus contentis, satisfacient competenter, omni frivola dilatione seu oppositione postposita seu exclusa. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, dominica post nativitatem domini nostri Jhesu Cristi.

Registr. Rubrum, fol. 51.

298.

Littera approbationis donationis nobis facte a Margareta Bekude.

Universis presentes litteras inspecturis magister Guillelmus de Boyaco, canonicus et officialis Morinensis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, quod Margareta dicta Beckude, parochiana sancti Petri Yprensis, compos animi et sane mentis sue, coram dilecto et fideli nostro Cristiano de Balliolo clerico, in curia Morinensi notario, a nobis ad hoc specialiter deputato, personaliter constituta, recognovit coram dicto notario se dedisse, concessisse, donasse et contulisse et ex habundanti coram ipso adhuc dedit, concessit, contulit et donavit in puram elemosinam, donatione inter vivos, pro salute anime sue, in remissione suorum peccaminum et suorum antecessorum, ecclesie beati Martini Yprensis octo mensuras terre ipsius Margarete, jacentes in parochia de Formezeles juxta molendinum ad ventum (*le reste comme dans la pièce qui précède, jusqu'à* omni frivola dilatione seu oppositione postposita seu exclusa), prout hec omnia supradicta tam in rescriptione dicti notarii, quam in dicto mandato a nobis sibi commisso hiis presentibus annexis plenius continentur. Que omnia et singula premissa coram dicto notario acta, dicta et ordinata tenore presentium approbamus, laudamus et confirmamus et rata habemus et haberi volumus in futurum, ac si in presentia nostra acta fuissent et dicta. In quorum omnium et singulorum testimonium et memoriam perpetuam, ad instantiam et supplicationem dicte Margarete coram dicto notario ad nos factam, super premissis presens fieri fecimus publicum instrumentum et ei fecimus apponi sigillum curie Morinensis. Datum anno Domini M°. CC°. LXXIX°. feria tercia post octavas epiphanie Domini, mense januario.

1279-80. 16 Janvier.

Registr. Rubrum, fol. 52.

299.

Littere curie Morinensis, quod commisit vices suas ad recipiendas recognitiones infra scriptas magistri Helie et aliorum.

1279-80. 10 Avril. Magister Guillelmus de Boyaco, canonicus et officialis Morinensis, dilecto et fideli nostro Cristiano de Balliolo, in curia Morinensi notario, salutem in Domino. Cum Margareta de Menines, magister Helias et Johannes dictus Blanc, burgenses Yprenses, velint et intendant, pro salute animarum suarum et suorum antecessorum et sue uxoris, seu de consensu earundem, dare, conferre, donare et concedere ecclesie beati Martini Yprensis quasdam terras suas imperpetuum possidendas, seu alia bona sua sive redditus ipsorum, ut dicitur, in puram elemosinam, donatione inter vivos aut alia quacunque de causa, et premissa facere et facta recognoscere coram nobis, tibi mandamus, quatinus accedas ubi propter hoc fuerit accedendum, vocatis coram te qui propter hoc fuerint evocandi et venire voluerint, loco nostri dictas donationes, concessiones et collationes ab ipsis prenominatis vel ab altero ipsorum ecclesie predicte faciendas et omnia alia circa premissa facienda et que circa talia fieri requiruntur, audias diligenter vice nostra, et ea que de premissis et premissa tangentibus coram te fuerint facta et dicta, quam citius poteris, nobis fideliter rescribas vel referas viva voce, ut super hiis, si voluerint, publicum fieri valeat instrumentum sub sigillo nostro curie Morinensis, quoad premissa et premissa tangentia tibi liberam facultatem et vices nostras specialiter committentes. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, feria quarta ante ramos palmarum.

Registr. Rubrum, fol. 53.

300.

De choro per se dedicato et de die dedicationis dominica post Marci ewangeliste.

1280. 26 Avril. H[enricus], Dei gratia Morinensis episcopus, universis et singulis presentes litteras inspecturis, in civitate et dyocesi Morinensi constitutis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod cum nos anno Domini M°. CC°. octogesimo, die jovis post pascha, in festo beati Marci ewangeliste, chorum novi operis ecclesie beati Martini Yprensis per se in honore beati Martini benedixerimus et dedicaverimus, volentes ut Cristi fideles dictum chorum libentius et affectuosius in honore beati Martini visitent et honorent, nos de Dei omnipotentis misericordia et gloriose beate Marie virginis omniumque sanctorum meritis ac intercessione confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui predictum chorum in honore beati Martini visitaverint et honoraverint, unum annum de injunctis sibi penitentiis, usque ad quadraginta dies continue sequentes diem jovis predictum,

quadraginta diebus elapsis, qualibet die quadraginta dies usque ad annum a die jovis predicto computandum, et quolibet anno, die qua celebrabitur dedicatio dicti chori, videlicet die dominica post festum beati Marci ewangeliste, qua die dominica quolibet anno dictam dedicationem precipimus et volumus celebrari et etiam observari, quadraginta dies, quantum in nobis est, misericorditer relaxamus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, die veneris post festum beati Marci ewangeliste.

Registr. Rubrum, fol. 113.

301.

Rescriptio notarii super terris datis nobis a magistro Helia et ejus uxore [et Johanne Blanke et Margareta de Menines].

Viro venerabili et discreto domino suo reverendo magistro Guillermo de Boyaco, canonico et officiali Morinensi, suus Cristianus de Balliolo clericus, in curia Morinensi notarius, salutem et promptitudinem servitii cum omni reverentia et honore. Noverit discretio vestra, quod ego ad mandatum vestrum huic rescriptioni mee annexum accessi personaliter apud Ypram, et ibidem coram me propter hoc personaliter constituti, magister Elyzeus seu Helias, filius Helizei, et ejus uxor unam mensuram terre jacentem in parochia beate Marie de Brielo Yprensi, juxta quandam crucem stantem in itinere de Ypra versus Boesinghes, que crux dicitur vulgaliter *banliewe*, cujusque terre vicus ille seu strata publica, que tendit a villa Yprensi versus Boesinghes, juxta crucem predictam, versus orientem a dicta terra, et terra ecclesie beati Martini Yprensis versus partem septemtrionalem et etiam occidentalem, et rivulus quidam decurrens versus partem meridionalem sunt confines; et Johannes dictus Blanke, parochianus de Boesinghes, unam mensuram prati vel circiter, jacentem in parochia de Boesinghes, cujusque prati terra Johannis dicti Everard versus partem orientalem et etiam septemtrionalem, et versus meridionalem partem terra dicti Johannis Blanke et Willelmi de Steenstraet, et versus occidentalem partem terra dicti Johannis Blanke sunt confines; necnon Margareta de Menines tres mensuras terre et triginta duas virgas vel circiter, jacentes in parochia de Brielo Yprensi, cujusque terre vicus magnus seu strata publica tendens a villa Yprensi versus Dixmudam et Rubeum pratum versus occidentalem in longitudine dicte terre, versus septemtrionalem partem terra Johannis Scorboet et terra Andree dicti Scoudegrus, et versus meridionalem partem terra Egidii dicti Malleward in latitudine dicte terre sunt confines, in remissione suorum peccaminum et pro salute animarum suarum et suorum antecessorum dederunt, concesserunt, donaverunt et contulerunt ecclesie beati Martini Yprensis predicte in puram elemosinam, donatione inter vivos, ac etiam recognoverunt prenominati omnes et singuli se alias dictas terras, videlicet quilibet ipsorum pro parte predictarum terrarum ipsum contingente in donatione predicta, ecclesie memorate dedisse,

1280. 27 Avril.

qui fu en no lieu des dismes devant dites entierement sans calenge al eglise oes de saint Martin d'Ypre, et que nul droit n'i avoient et que bien faire le poent; et nous fesimes conjurer nos hommes fievés qui adont là estoient, sur tout chou, se par droit et par loy en avoient tant fait et ovré, que nul droit n'i eussent ne reclamer n'i peussent jamays chil devant dis Wautiers de Heule chevaliers et sa femme et leur hoir, et se sainement y peuist li eglise de saint Martin entrer et tenir en pays par droit à tous jours ces dismes devant dites; et il jugierent que oïl, se nous estiemes certain de no droit et se nous le voisissiemes ravestir et ottroiier al eglise d'Ypre. Et dont après tantost nous en fesimes ravestir et en ravestimes chele eglise d'Ypre et leur commant de ces dismes devant dites de Pasquendaele et de Langhemarc, et par devant nos hommes fievés fesimes mettre et mesismes en tenure et en possession de ces dismes pour le eglise seigneur Wautier Ysvin, canoine de cele eglise, à tenir perpetuelment et franchement, et nous les avons afranchies de toutes services de fiés et de tous asseinemens et de toutes condicions et de no droit nous en avons eut no gré, et à oes de cele eglise d'Ypre tel droit que nous i avions devant ou avoir y peuviesmes, nous lor quitons; et en ces dismes ne nous ne no hoir ne no successeur service ne autre yssue ne autre droit, ne par raison de fief ne autrement, requerre ne devons ne poons, ne occoison querre, ne soufrir à querre, par coy li eglise d'Ypre en soit jamais destourbée, et si ottroions et greons et confirmons les convenences, les promesses et les condicions qui sunt contenues ens les lettres Wautier de Huele et sa femme, qui sont donées al eglise d'Ypre, et si les ferons tenir comme sires de tant que à nous monte. A ces choses oïr et jugier furent me sires Huwes de Haluin chevaliers, me sires Soiers de Mouskere chevaliers, Wautiers de Hamme, Daniaus de Mouskere, Rogiers de Mouskere, Willaumes des Chaus, Lambiers Pipe, Oliviers de Marke, et si fu adont comme baillieus Rogers de le Prée. En tesmoignage de toutes ces choses nous avons à ces presentes lettres mis no saieus. Données en l'an del incarnacion mil deus cens quatrevins et quatre, el mois de may, le lundi devant le jour de penthecoste.

Registr. Novum, fol. 79.

322.

Littera confirmationis Henrici, episcopi Morinensis, ejusdem decime vendite ecclesie beati Martini Yprensis, jacentis in Langhemaerc, in loco dicto Waschigghebrigghe.

Universis presentes litteras inspecturis H(enricus), Dei gratia Morinensis episcopus, salutem in omnium Salvatorem. Cum dominus Walterus de Heulle miles habuerit quamdam decimam sitam in parrochia de Longhemaerc, in loco qui dicitur Waskigghebrigghe, quam tenebat in feodum de domino Waltero de Nivella milite, jacentem infra personatum ecclesie de Formeselles, et dictus dominus Walterus de Huelle dictam decimam vendiderit, ut asseruit, viris religiosis 1284. 2 Août.

preposito et conventui ecclesie sancti Martini Yprensis hereditarie possidendam, valorem cujuslibet denarii dicte decime pro decem et octo denariis parisiens. secundum quod precium dicte decime erit extimatum, et dictus miles prepositum et conventum ecclesie de Formeseles, tanquam patronos dicte decime, sufficienter requisiverit, ut venditioni dicte decime, quantum in eis esset, suum consensum preberent pariter et assensum, et dictis preposito et conventui ecclesie sancti Martini Yprensis super premissis suas litteras concedere vellent, et super hoc sufficienter requisiti hoc facere recusaverint, licet insuper dictus miles dictis preposito et conventui nomine eorum ecclesie proximitatem dicte decime obtulerit, ut eam acciperent, si vellent, pro precio pro quo erat vendita te werpita, et hoc facere similiter recusaverint, prout coram nobis asseruit prepositus Formeselensis pro se et suo conventu memorato, licet super hoc a nobis similiter fuerint requisiti, notum omnibus fieri volumus, quod nos predicte venditioni facte de decima memorata a dicto milite dictis preposito et conventui ecclesie sancti Martini Yprensis nostrum consensum prebemus pariter et assensum, et eam auctoritate nostra ordinaria laudamus, approbamus ac etiam confirmamus. In cujus rei testimonium et munimen presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. octuagesimo quarto, mense augusto, in crastino beati Petri ad vincula. (*Signé*) Baiart.

Registr. Nigrum, fol 13.

323.

Littera cujusdam lage facte inter ecclesiam nostram et Johannem li Pud, super xxvj. sol. vij. den. et obol. supra domum vocatam de Hert, stantem in de Zuudstrate.

1284. Août. Nous eschevin d'Ypre faisons savoir à tous ke Jehans li Pud et Aliene, se feme, ont fait une laghe, ke on apele cange, encontre seigneur Nicholon, par le souffrance de Dieu provost del eglise saint Martin d'Ypre, et encontre le couvent de che meisme lieu, et ont douneit en droite laghe et en droit change au devant dit provost et al couvent vint et siis sols seed deniers et maille de rente hyretable par an, à prendre perpetuelment en le masure de le maison que on apele le Chierf, ki jadis fu Lambiert le Russe, estant en le Zutstrate, pour une pieche de terre, ke li devant dis provos et li couvens leur ont douneit en droite laghe et en droit change, gisant en le rue d'Elverdinghe, deriere toutes les maisons qui jadis furent Jehan le Beyr, le quele pieche de terre s'estent en longhece vers occident dusques à le terre Bauduin Poulain, et vers orient dusques à le terre des chambres ki jadis furent Jakemon dou Temple, estant sour le terre dou provost, et en largeche si comme Joffrois de Ransieres l'a enclos de son mur. De ceste devant noumée rente el lieu devant dit et de le pieche de terre Jehans li Puud et Aliene sa feme, li provos et li convens en ont fait werp li uns al autre par devant nous bien et à loy, selonc les us et les coustumes de

le vile d'Ypre, et le doivent warantir li uns al autre de toutes calenges encontre toutes gens. En quel memorie et en muniment nous avons ceste presente chartre saiclée dou saiel de le vile d'Ypre. En tiesmoignage de ches eschevins Pieron de Lo, Watier le Vilain, Lambiert de Scotes, Jehan Falais et Willaumes Portejoie. Chou fu fait en l'an del incarnation M. CC. quatrevins et quatre, el moys d'aoust.

Registr. Rubrum, fol. 126.

324.

Littere confirmationis et amortizationis a Beatrice, domina Curtracensi, duarum decimarum quas in Passchendale et Langhemaerc habemus.

Nous Beatris, dame de Courtray, faisons savoir à tous que nous greons, loons et confirmons le vendage et le werp que Wautiers de Heule chevaliers et Aelis sa femme ont fait el eglise de saint Martin d'Ypre de leur dismes que il tenoient en fief de no boin ami Wautier, seigneur de Nivele chevalier, et il de nous et del conte de Flandres, qui gisent en le parroche de Pasquendale, que on apiele le disme de Menrevile, et en le parroche de Langhemarc près del Vaschigghebrigghe, qui fu Jehan le Grise, sicome il peirt par leur lettres que nous avons veues saelées de leur saiels, et tant comme en nous est, le franchisons de tous services et de fief et d'autrement, et ferons tenir les convenences sur chou devisées comme dame. Et pour chou que ferm soit et estable, se avons ces lettres saielées de no saiel. Données en l'an del incarnation nostre seigneur Jhesu Crist mil deus cens quatrevins et quatre. 1284.

Registr. Novum. fol. 82.

325.

Littera confirmationis et amortizationis a Guydone, comite Flandrie, decime quam ecclesia emit in parochiis de Paskendaele et de Langhemaerc erga dominum Walterum de Heule et uxorem ejus.

Nous Guis, cuens de Flandres et marchis de Namur, faisons savoir à tous que le vendage que Watiers chevaliers de Heule et Aelis sa femme ont fait al eglise de saint Martin d'Ypre, et le werp et les promesses et la ravesture de leur dismes, que il tenoient en fief de no foyable mon seigneur Watier de Nivele chevalier et il de nous, que nous avons afranchies del tout, qui gisent en le parroche de Paskendale, que on apiele le disme de Menrevile, et en le parroche de Langhemarc, près du pont que on dist Wasschigghenbrigghe, qui fu Jehan le Grise, si comme il peirt par leur lettres que nous avons veues saelées de leur saeels, loons, greons, approvons et confirmons, et les ferons tenir comme 1284.

souverains sires, et pour chou avons nous ces lettres saelées de no saiel. Donnés en l'an del incarnation nostre seigneur Jhesu Crist mil deus cens quatre vins et quatre.

Registr. Novum, fol. 92.

326.

Littera confirmationis translationis antique decime, quam habemus in parochia de Paskendale, ab episcopo Tornacensi nobis facte, de consensu religiosorum virorum dominorum abbatis et conventus beati Martini Tornacensis.

1285. 14 Juillet. Universis presentes litteras inspecturis M[ichael], Dei gratia Tornacensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos consensum et assensum prestitum a viris religiosis... Dei permissione' abbate sancti Martini Tornacensis, ordinis sancti Benedicti, et conventu ejusdem loci super translatione antique decime, quam in parochia de Paskendale nostre dyocesis, in qua jus patronatus dictum monasterium obtinet, quam tenebat in feodum vir nobilis dominus Walterus de Heule miles et Aelidis ejus uxor, prout in litteris, quibus nostre presentes sunt infixe, continetur, laudamus et approbamus et, quantum in nobis est, prout rite factum est, confirmamus. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, sabbato ante divisionem apostolorum (1).

Registr. Novum, fol. 82.

327.

Littera quitancie ecclesie nostre collata, de decimis de Paskendale et Langhemaerc, emptis ab ecclesia nostra erga dominum Walterum de Huele et uxorem ejus.

1285 17 Août. A tous chiaulx qui ces lettres verront et orront, Wautiers de Hoele chevaliers salus. Nous faisons à savoir à tous que nous avons eu no gré del provost et del convent de saint Martin d'Ypre entierement de trois cens et de chuinquante et deux livres de parisis, pour le disme que nous eumes à Paskendale et que nous leur vendismes et werpismes ; et de ces deniers et de cele summe deseure dite nous tenons à bien paiiet et aussy avoec chou de tout le pris de le disme de Longhemarke, qui nostre fu, qu'on apielle le disme Jehan le Grise, sicomme elle s'estent, nous tenons del tout plainement à bien paiiet. En tesmoignage de tout choù, nous leur en avons données ces lettres seelées de no saiel. Che fu donné en l'an nostre Seigneur mil deus cens et quatrevins et chuinc, le venredi après le jour nostre Dame en mi aoust.

Registr. Novum, fol. 84.

---

(1) Suivant de Wailly, *Éléments de Paléographie*, la Dispersion des Apôtres tombe le 14 ou 15 juillet. En 1285, le 15 était un dimanche.

328.

Littera de ij. decimis ab ecclesia nostra legitime acquisitis, quarum una jacet in parochia de Paskendale, et alia in parochia de Langhemaere.

Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis salutem in Domino. 1285.
Noveritis quod coram Johanne de Bouchoud clerico, notario nostro, vices nos- Août.
tras quoad hoc gerente et ad hoc de latere nostro specialiter destinato, personaliter constituta domina Aelidis, uxor domini Walteri de Heulle militis, recognovit in jure coram dicto notario, quod dicta domina Aelidis et dictus dominus Walterus, ejus maritus, de speciali assensu, consensu et voluntate ejusdem domine Aelidis, evidenti necessitate urgente, ad emtionem deterioris contractus vendiderunt vero, justo et legitimo venditionis titulo viris religiosis preposito et conventui ecclesie sancti Martini Yprensis et eorum ecclesie totam decimam, quam ipsi domina et ejus maritus habebant, tenebant et possidebant in parrochia de Paskendale, Tornacensis dyocesis, que quidem decima vocatur decima de Minori Villa, necnon aliam decimam, quam dicti domina et ejus maritus habebant, tenebant et possidebant in parrochia de Longhemarch, Morinensis dyocesis, in loco qui dicitur Waskigghenbrigghe, ex parte dicte domine provenientes, quas quidem decimas dicti domina et ejus maritus tenebant in feodum de domino de Niviele. Recognovit etiam quod dicti domina et ejus maritus dictas decimas werpuerunt, tradiderunt et deliberaverunt dictis preposito et conventui et eorum ecclesie seu eorum mandato, eorum et eorum ecclesie nomine, ipsis religiosis ratum habentibus, bene et ad legem coram dicto domino seu ejus ballivo vel mandato habente super hoc potestatem, dicto domino sciente et expresse consentiente, per judicium et documentum hominum dicti domini de Niviele, qui super hoc habuerunt, potuerunt et debuerunt judicare de lege, usu et consuetudine patrie et locorum in quibus decime predicte consistunt, omnibus adhibitis solemnitatibus, que in talibus requiruntur, tenendas, possidendas et habendas a dictis religiosis et eorum ecclesia perpetuo et hereditarie in futurum, absque homagio, servicio et exactione qualibet dicto domino aut alii ratione dictarum decimarum debendis vel reddendis, pro vero, justo et legitimo precio, videlicet pro septingentis libris parisiensium, de quibus dicta domina recognovit coram dicto notario sibi et dicto marito suo esse totaliter satisfactum in bona, sicca et bene numerata pecunia absque omni illicita pactione, que quidem pecunia in utilitatem evidentem ejusdem domine et ejus mariti, sicut asseruit dicta domina coram dicto notario, totaliter est conversa; et mediantibus premissis vult et concedit dicta domina, quod dicti religiosi et eorum ecclesia perpetuo et hereditarie dictas decimas libere teneant, possideant et habeant, et fructus et proventus exinde levent, percipiant et habeant, levari et percipi faciant et de eisdem disponant pro sue voluntatis arbitrio pacifice et quiete; promittens dicta domina, fide et juramento in manu dicti notarii prestitis, quod ipsa contra

premissa vel eorum aliqua per se vel per alium non veniet in futurum, nec queret artem, ingenium, modum, medium, materiam sive causam contra premissa vel eorum aliqua per se vel per alium imposterum veniendi, nec aliquid juris in predictis decimis, vel fructibus earumdem ratione dotis, dotalicii, donationis propter nuptias, victus assignamenti, aut alia qualibet ratione de cetero reclamabit, immo predictos religiosos, eorum ecclesiam et eorum mandatum de predictis decimis et fructibus earumdem in posterum gaudere permittet pacifice et quiete, et predictas decimas predictis religiosis et eorum ecclesie garandizabit erga omnes, omni juri, quod eidem domine competebat aut competere poterat in predictis decimis vel fructibus earumdem, ratione dotis, dotalicii, donationis propter nuptias, victus assignamenti, aut alia qualibet ratione, nomine et ad opus dictorum religiosorum et eorum ecclesie renuncians penitus et expresse, volens ad premissorum omnium et singulorum observationem compelli per excommunicationis sententiam, si necesse fuerit, auctoritate curie Morinensis, se quoad hoc jurisdictioni dicte curie penitus supponendo, in quocunque loco, habitu fuerit sive statu ; renuncians dicta domina, quoad premissa omnia et singula, fide et juramento predictis, omni exceptioni doli mali, fori, exceptioni non numerate pecunie, non tradite, non solute, omni juris auxilio canonici et civilis, omnibus exceptionibus et cavillationibus tam juris quam facti, exceptioni vis et metus, quum dicta domina recognovit sibi sufficiens excambium sive abundamentum a dicto domino Waltero sibi esse factum pro premissis, quo abundamento dicta domina se habuit pro contenta, quod de cetero non possit dicere, proponere seu etiam allegare ipsam esse deceptam ultra medietatem justi precii, aut rem aliter se habere quam in presenti littera continetur, omnibus litteris, gratiis, indulgentiis, juribus, legibus, statutis et consuetudinibus in favorem mulierum introductis, doti, dotalicio, donationi propter nuptias, victus assignamento, conventioni judicum, et omnibus et singulis aliis, que contra presens instrumentum et contenta in eodem in posterum objici possent vel opponi, et que dictis religiosis et eorum ecclesie obesse et dicte domine prodesse possent in premissis, prout idem notarius nobis retulit viva voce. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillari fecimus sigillo curie Morinensis. Datum anno Domini M°. CC°. octuagesimo quinto, mense augusto. (*Signé*) Bouchoud.

Registr. Novum, fol. 83.

329.

Quod domini prepositus et capitulum sancti Martini Yprensis ex una parte, et magister Johannes de Fieffes, archidiaconus Flandrensis in ecclesia Morinensi, ex altera, compromiserunt in Jacobum, Dei gratia Morinensem episcopum, de visitatione capituli dicti monasterii facienda per archidiaconum, ratione sui archidiaconatus.

1287. 31 Octobre. Universis presentes litteras inspecturis J[acobus], Dei gratia Morinensis episcopus, eternam in Domino salutem. Notum facimus, quod cum dudum inter

venerabilem virum, magistrum Johannem de Fieffes, archidyaconum Flandrensem in ecclesia Morinensi, ex parte una, et religiosos viros prepositum, administratores et conventum monasterii sancti Martini Yprensis nostre dyocesis ex altera, verteretur materia questionis, super eo quod dictus archidyaconus dicebat se ratione archidyaconatus sui debere in capitulo dicti monasterii ad visitandum admitti, et ibidem posse visitationis officium exercere, tam de jure et consuetudine, quam ratione cujusdam sententie arbitralis, quam etiam alia multiplici ratione; item super quingentis libris parisiensium, quas dicebat sibi ab eis deberi, occasione cujusdam pene commisse a religiosis predictis; item super trecentis libris parisiensium ratione expensarum suarum, que quidem octinginte libre sibi adjudicate fuerunt per venerabilem virum, archidyaconum Ambianensem, judicem ei datum a reverendo patre domino Symone, tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, tunc apostolice sedis legato, a qua sententia a dictis religiosis extitit appellatum et judices impetrati; item super expensis factis coram illis judicibus impetratis; item super hoc quod prepositus, qui nunc est electus et confirmatus, se fecit auctoritate propria installari, contra jura et libertates dicti archidyaconatus et in ipsius archidyaconi prejudicium et gravamen, ut dicebat, predictis religiosis predicta impugnantibus et asserentibus se ad omnia vel eorum aliqua non teneri; tandem dicte partes amicabili frete consilio super premissis et ea tangentibus, et etiam super omnibus questionibus et querelis, que possent inter eos moveri usque in diem hodiernum, compromiserunt de alto et basso in nos tanquam in arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem. Insuper cum dictus archidyaconus habeat et sit in possessione percipiendi, ratione cujusdam sententie arbitralis, a qualibet parochiali ecclesia sita in villa Yprensi, que quidem ecclesie spectant ad monasterium predictum, quinquaginta solidos parisiensium nomine procurationis sibi debite, visitationis causa, pro expensis suis de dicta pecunia faciendis, voluerunt et concesserunt dicte partes quod nos possemus dictam pecuniam commutare in annuum redditum, ad opus archidyaconatus predicti, a dictis religiosis annuatim archidyacono et successoribus suis imperpetuum persolvendum, seu aliter prout nobis fore expediens videretur; promittentes dicte partes videlicet dictus archidyaconus, nomine suo et archidyaconatus predicti, et dicti prepositus, administratores et conventus pro se et monasterio suo, fide et juramento corporali prestitis, et sub pena mille librarum parisiensium a dictis partibus apposita et promissa parti dictum et ordinationem nostram in premissis observanti a parte ab arbitrio in parte vel in toto resiliente reddendarum, se inviolabiliter observare, tenere et adimplere, quicquid super omnibus premissis et singulis sive aliquo premissorum duxerimus faciendum seu ordinandum seu etiam statuendum, acto tamen et convento inter partes predictas, quod dicta pena commissa peti possit a parte eam committente, rato nichilominus manente compromisso et ordinatione predictis. Actum est etiam expresse, quod in dicto compromisso possimus procedere, ordinare et dictum nostrum proferre diebus feriatis et non feriatis, altera partium absente, sufficienter tamen evocata, et debet istud arbitrium terminari infra nativitatem Domini proximo venturam. Et ad premissa omnia et singula tenenda et observanda

obligaverunt partes predicte se, successores suos et omnia bona sua mobilia et immobilia, presentia et futura, ubicunque poterunt inveniri. Et nos ad preces et instantiam partium predictarum predicto compromisso tanquam ordinarius consentimus et auctoritatem prestamus, et illud approbamus, et in nos onus dicti suscipimus compromissi. In cujus rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillis dictarum partium presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini M°. CC°. octuagesimo septimo, in vigilia omnium sanctorum.

R. Novum, fol. 179, et *R. Nigrum*, fol. 49 (dans une autre pièce).

330.

De compositione facta inter prepositum et capitulum sancti Martini, et magistrum Joannem de Fleffes, per Jacobum, Morinensem episcopum.

1287. 22 Novemb.

Universis presentes litteras inspecturis J[acobus], Dei gratia Morinensis episcopus, eternam in Domino salutem. Cum ab infrascriptis partibus in nos fuisset et esset compromissum, prout continetur in litteris nostris super hoc confectis, nostro et dictarum partium sigillis sigillatis, quarum tenor talis est: « Universis presentes litteras inspecturis J[acobus], *suit la pièce n°* 329). »

Nos itaque onere dicti compromissi in nos suscepto, proborum in hac parte freti consilio, consideratis eis, que consideranda erant in premissis, die demum ipsis partibus assignata apud Morinum coram nobis, videlicet sabbato post octabas beati Martini hyemalis, ad audiendum dictum, ordinationem seu sententiam nostram arbitralem super premissis, dictis partibus videlicet dictis archidyacono et preposito personaliter, et conventu per procuratores ydoneos, videlicet decanum et Johannem dictum le Wale canonicos dicti monasterii, die et loco coram nobis comparentibus, et dictam ordinationem seu sententiam nostram arbitralem a nobis pronunciari volentibus et instanter petentibus, nos dictum nostrum, ordinationem seu sententiam nostram arbitralem pronunciamus in hunc modum. Nos Jacobus, Dei gratia Morinensis episcopus, pronunciamus quod archidyaconi Flandrenses, cum accedent ad monasterium sancti Martini Yprensis, ingredientur capitulum, et pulsato ad capitulum, prout moris est, eos capitulum admittere tenebitur semel in anno. Dicti autem archidyaconi interrogabunt canonicos, si est in dicto monasterio aliquid corrigendum vel emendandum, ut referant episcopo Morinensi; nec ad inquisitionem aliquam, compulsionem seu correctionem eorum que dicti canonici ipsis archidyaconis dicent, vel etiam aliorum procedere prefati archidyaconi poterunt vel debebunt. Si vero dicti canonici nolint dictis archidyaconis aliquid dicere, eos in aliquo compellere non poterunt nec debebunt. Solvent autem prepositus et conventus dicti monasterii archidyacono, qui nunc est, vj°. libras turonensium, medietatem in nativitate beati Johannis proximo ventura, et aliam medietatem in nativitate beati Johannis immediate

sequente. Insuper pronunciamus, quod si dicti prepositus et conventus assignaverint bene et sufficienter arbitrio episcopi Morinensis viginti libras parisiensium annui redditus ad opus predicti archidyaconi Flandrensis infra biennium, parrochie Yprenses erunt liberate ab illa summa pecunie in nomine procurationis in qua tenentur eidem, salvo omni jure sibi competenti in parrochiis in villa Yprensi de novo creandis. Item pro ingressu prepositi dictus archidyaconus, qui nunc est, habebit palefridum, quem prepositus die ingressus sui equitavit, vel decem libras parisiensium, si eas malluerit. Et per hoc volumus et pronunciamus omnes controversias, de quibus fit mentio in compromisso, fore sopitas, et dictum archidyaconum seu suos successores premissis a nobis pronunciatis esse contentos, nec ipsum posse a dictis preposito et conventu de cetero aliquid aliud petere seu etiam reclamare, occasione alicujus rei usque in diem compromissi. Quibus a nobis pronunciatis modo et forma suprascriptis dicte partes acquieverunt omnino. Et ut premissa omnia robur obtineant firmitatis, ea omnia et singula auctoritate ordinaria confirmamus. In quorum omnium testimonium et munimen sigillum nostrum una cum sigillis dictarum partium presentibus litteris est appensum. Actum apud Morinum, anno et sabbato predictis.

Registr. Novum, fol. 179, et *Registr. Nigrum*, fol. 49.

331.

Littera J[acobi], Morinensis episcopi, super visitatione archidyaconi Flandrensis in capitulo ecclesie sancti Martini annuatim facienda (1).

Nos J[acobus], Dei gratia Morinensis episcopus, pronuntiamus, quod archidyaconi Flandrenses, cum accedent ad monasterium sancti Martini Yprensis, ingredientur capitulum et pulsato ad capitulum, prout moris est, eos capitulum admittere tenebitur semel in anno. Dicti autem archidyaconi interrogabunt canonicos, si est in dicto monasterio aliquid corrigendum vel emendandum, ut referant episcopo Morinensi, nec ad inquisitionem aliquam, compulsionem seu correctionem eorum, que dicti canonici ipsis archidyaconis dicent, vel etiam aliorum, procedere prefati archidyaconi poterunt vel debebunt. Si vero dicti canonici nolint dictis archidyaconis aliquid dicere, eos in aliquo compellere non poterunt nec debebunt. Solvent autem prepositus et conventus dicti monasterii archidyacono, qui nunc est, vj°. libras turonensium *et cetera*. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, mense novembri (2). 1287. Novembre.

Registr. Rubrum, fol. 125.

---

(1) Manuscrit : fienda.

(2) Cette pièce n'est qu'un extrait de la précédente. Elle en reproduit les principales conclusions pratiques.

332.

Missa kalande (vel) confraternitatis sancti Nicholai.

1287-88. Février. Universis presentes litteras visuris Willermus, Dei permissione prepositus ecclesie beati Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Ut pia voluntas et laudabile factum decani et fratrum kalande seu confraternitatis beati Nicholai Yprensis in luce clarescant, Cristi fidelibus sint exemplum et eterna memoria valeant commendari, tenore presentium volumus fore notum, quod predicti decanus et fratres zelo devotionis accensi, nostro prius consensu requisito et optento, qui jus patronatus in dicto loco dinoscimur obtinere, de bonis dicte kalande super altare in honore beati Nicholai fundatum in ecclesia beati Martini Yprensis, vel in novo edificio ejusdem ecclesie super altare de novo fundandum, ubi nobis videbitur expedire, quandam capellaniam valoris octodecim librarum usualis monete annuatim a capellano dictam capellaniam deservienti pro suis necessitatibus percipiendarum, ac etiam triginta solidorum pro custode dicto capellano in dicta capellania serviente fundaverunt, seu statuerunt imperpetuum remanendam. Cujus capellanie capellanus pro fratribus dicte kalende seu confraternitatis vivis et defunctis missam celebrabit immediate post missam, que consuevit celebrari in honore beate Marie virginis in ecclesia memorata, legendo, non cantando, nisi de licentia prepositi seu ejus vices gerentis in ecclesia predicta; excepto eo, quod si quis frater dicte confraternitatis sublatus fuerit de medio, licebit predictis confratribus, prout voluerint, sollempniter celebrare, necnon matutinas, vesperas et missas in festis beati pontificis Nicholai ad altare beati Andree, quousque in novo edificio ejusdem ecclesie altare antedictum fuerit extructum. Tunc predicti clerici ad illud novum altare imperpetuum sollempniter celebrabunt; ita quod missa dicti capellani aliqua occasione non valeat retardari seu etiam impediri, quin dicto tempore imperpetuum cotidie celebretur, nisi dictus capellanus aliqua justa causa fuerit impeditus. De quibus pecuniarum summis pro predictis capellano et custode de redditibus, que consueverunt ad dictam capellaniam hactenus pertinere, nobis et ecclesie nostre est plenarie satisfactum. Quam quidem capellaniam de novo sic fundatam predicti decanus et fratres ista vice Johanni dicto Albo clerico, nobis consentientibus et approbantibus, contulerunt. Qui dictam capellaniam, juramento prestito corporali, recepit deserviendam, sicut superius est jam dictum, toto cursu vite sue habendam et possidendam, omnibus exceptionibus, impedimentis seu reclamationibus nostris cessantibus, pacifice et quiete, et ob hoc dictus Johannes predictas octodecim libras, quamdiu dicte capellanie deserviet vel deserviri faciet, percipiet et habebit, et post ipsius obitum seu liberam resignationem, si eum contingeret resignare, dictam capellaniam faciemus nos et successores nostri per unum de nostro collegio vel per aliam personam ydoneam imperpetuum deserviri modo superius prenotato. Cujus capellanie redditus tunc

ad nos et ecclesiam nostram pertinebunt ; hoc addito, quod dicti fratres omnia et singula ad missam celebrandam necessaria capellano, qui pro tempore dictam capellaniam deserviet, ministrabunt, et non erit licitum uti in aliquibus missis cantandis predictis ornamentis ecclesiasticis predictorum clericorum, preterquam in missa beati Nicholai celebranda ; ad quam missam presbyter monebit populum pro benefactoribus et fundatoribus ipsius misse dicere cotidie *Pater noster*. Et ut premissa et singula premissorum robur habeant perpetue firmitatis, et ne predicti decanus et fratres (vel) eorum successores a nobis vel nostris successoribus possint suo desiderio aliquatenus defraudari, nos premissa et singula omnia premissorum, prout superius est expressum, promittimus fideliter adimplere et inviolabiliter observare, ad hoc nos et successores nostros in futurum et ecclesiam nostram obligantes, renuntiantes quoad premissa omnia et singula, ne possimus aliquando dicere seu pretendere predictos redditus nobis non esse traditos seu etiam deliberatos ex causa predicta, seu etiam aliud esse scriptum in carta presenti quam actum ; omnibus exceptionibus, cavillationibus, privilegiis, indulgentiis et litteris impetratis seu etiam impetrandis, et omnibus aliis exceptionibus tam juris quam facti, que possent objici vel opponi contra premissa vel aliquod premissorum. In cujus rei noticiam et munimen presenti carte sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, mense februarii.

Registr. Rubrum, fol. 145.

Sur la gilde de Saint-Nicolas à Ypres et sur ses chapellenies, voir le remarquable travail publié par M. Alph. Vandenpeereboom dans les *Annales de la Société d'Émulation* de Bruges, 4e série, t. I, p. 25.

333.

Conventio inter ecclesiam nostram et villam Yprensem, quod non obstante compositione inter nos et villam Yprensem de iij. magnis scolis, que possunt esse in villa Yprensi, quod possunt esse ij. solummodo, sed ista secunda compositio cassari potest.

Universis presentes litteras inspecturis advocatus, scabini totaque communitas ville Yprensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum hactenus quedam conventio facta fuisset inter nos ex una parte, et religiosos viros prepositum et conventum ecclesie beati Martini Yprensis ex altera, quod tres deberent esse magne scole in villa Yprensi, et quilibet, qui vellet, posset in scolis parvis pueros instruere usque ad Catonem, nos vero partes predicte, commodo et utilitate puerorum inspectis, consensimus in hoc, quod due scole magne tantum erunt in dicta villa, una ad sanctum Martinum et alia ad sanctum Petrum ; et isto modo, videlicet quod nullus burgensium seu communitatis predicte pueros suos masculos pro addiscendo Donato, vel aliquid

1288. 21 Juin.

ultra Donatum, quod in aliquo grammaticam vel logicam tangit, ad alias scolas mittat, quam ad aliquam predictarum duarum scolarum magnarum; hoc excepto, quod burgenses Yprenses liberos suos seu alios de familia sua manentes in domo sua propria per clericum suum in domo sua erudiri valuerint (1), et hoc eis licebit. Preterea consenserunt partes predicte, quod una pars, altera invita, si sibi visum fuerit expedire, presentem ordinationem poterit revocare et adherere conventioni prime, cui conventioni standum erit, non obstante ordinatione ista, que premissa partes predicte bona fide servare promiserunt. Ut autem hoc stabile et firmum permaneat, nos predicti advocatus, scabini totaque communitas sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, in die veneris ante festum beati Barnabe apostoli.

Registr. Rubrum, fol. 100, et *Registr. Novum*, fol. 2.

Des lettres de teneur identique furent délivrées à la ville d'Ypres par Guillaume, prévôt de Saint-Martin, et par le chapitre. On les trouvera comme suit:

Archives de la ville d'Ypres: original portant le sceau du prévôt et celui du chapitre avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 2, et au *Wittenboek*, fol. 248.

Stallaert et Van der Haegen, *L'instruction publique au moyen âge*, mémoire couronné par l'Académie de Belgique en 1850. — Gheldolf, *Histoire de la Flandre*, t. V, p. 404. — Diegerick, *Inventaire*, t. I, p. 130 (analyse). — Alph. Vandenpeereboom, *Ypriana*, t. II, p. 291 (analyse).

334.

Littera quitantie tradita ecclesie sancti Martini Yprensis a domino officiali Morinensi, de summa ccc. librarum turonensium et etiam x. librarum parisiensium persolvenda archidyacono Flandrensi Johanni de Fieffes.

1289. 10 Juin. Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis salutem in Domino. Cum dudum inter virum venerabilem, magistrum Johannem de Fieffes, archidyaconum Flandrensem, ex una parte, et viros religiosos prepositum et conventum ecclesie sancti Martini Yprensis ex altera, oriretur materia questionis, occasione cujusdam pene quingentarum librarum parisiensium, quam dictus archidyaconus dicebat ipsos religiosos erga dictum archidyaconum commisisse, et super hoc diucius fuisset inter ipsas partes litigatum, et demum ipse partes super premissis et super omnibus et aliis causis, que inter ipsas partes usque ad diem compromissi oriri poterant et haberi inter eas, compromisissent in reverendum patrem et dominum, dominum J(acobum), Dei gratia Morinensem episcopum, et predictus dominus pro bono pacis, onere premissorum in se suscepto, ipsos religiosos eidem archidyacono in quadam magna pecunie quantitate condempnasset, prout

(1) Gheldolf: voluerint.

hec omnia ex parte dictorum religiosorum nobis sunt relata, notum facimus, quod in nostra propter hoc presentia personaliter constitutus vir discretus dominus Johannes de Liestes, perpetuus capellanus in ecclesia Morinensi, recognovit in jure coram nobis se a dictis religiosis, nomine et ad opus dicti archidyaconi, trecentas libras turonensium et pro quodam equo decem libras parisiensium de dicta magna pecunie quantitate, per manum viri discreti domini Paskeri, canonici de Herlebeka, fratris dicti prepositi, pro termino nativitatis beati Johannis Baptiste proximo venturo, secundum quod a predicto domino episcopo ordinatum seu sententiatum extitit, in pecunia numerata, bona et legitima, recepisse. Propter quod idem dominus Johannes, sigillifer curie Morinensis, exceptioni pecunie non numerate, non solute et non recepte renuntiando promittit ipsos religiosos et eorum ecclesiam super dicta pecunia soluta superius declarata erga dictum dominum archidyaconum acquitare et indempnes penitus observare. Datum anno Domini M°. CC°. octogesimo octavo, die lune ante nativitatem beati Johannis Baptiste. In cujus rei testimonium nos ad instantiam dicti capellani presentibus litteris signo nostro signatis apponi fecimus sigillum curie Morinensis. Datum anno et die predictis.

Registr. Nigrum, fol. 52.

335.

Littera quod, cum dominus J[acobus], episcopus Morinensis, divina in ecclesia sancti Martini in penthecostalibus celebrasset, et ejus capellani oblationes ad manus ejusdem venientes levassent et asportassent, tandem capellani sui redeuntes tanquam non suas reddiderunt.

Universis presentes litteras inspecturis officialis Morinensis salutem in Domino. Cum reverendus in Cristo pater ac dominus noster dominus J[acobus], Dei gratia Morinensis episcopus, in die penthecostes ultimo preterita in ecclesia sancti Martini Yprensis divina celebrasset, et ejus capellani oblationes ad manus predicti reverendi patris dicta die provenientes ceperint, levaverint et absportaverint, dicentes eas ad ipsos pertinere, religiosis viris preposito et conventu dicte ecclesie contrarium asserentibus, notum facimus, quod predicti capellani, in nostra presentia propter hoc personaliter constituti, dictas oblationes dicto domino preposito sancti Martini Yprensis nomine ecclesie sue, eo quod oblate fuerunt uno natalium, reddiderunt. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum curie Morinensis fecimus apponi. Datum anno Domini M°. CC°. nonagesimo, crastino purificationis beate virginis Marie (1). 1290-91. 3 Février.

Registr. Novum, fol. 181.

(1) Pour l'intelligence de cette pièce et de quelques autres, il est bon de remarquer que Jacques de Boulogne, évêque de Térouane, était, suivant Sanderus, le frère de Robert, prévôt

336.

Littera quod J[acobus], Morinensis episcopus, recognovit quod cum per vj. dies tribus vicibus in nostro monasterio pernoctasset, ex speciali gratia per tres dies pernoctavit et per tres dies de jure.

1290-91. 3 Février. Universis presentes litteras inspecturis J[acobus], Dei gratia Morinensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus, quod cum nos per sex dies tribus vicibus fuerimus et pernoctaverimus in ecclesia et monasterio sancti Martini Yprensis, nos recognoscimus nos per tres dies de jure nostro, et per alios tres dies ex speciali gratia fuisse et pernoctasse ibidem. In cujus rei testimonium sigillum nostrum litteris presentibus est appensum. Datum anno Domini M°. CC°. nonagesimo, in crastino purificationis beate Virginis.

Registr. Nigrum, fol. 87.

337.

Littera qualiter Augustinenses cognoverunt, quod quotiescumque predicaverunt Ypris, confessiones audierunt seu aliquem vel aliquos receperunt ad ecclesiasticam sepulturam, totum fecerunt de consensu prepositi et conventus sancti Martini Yprensis et eorum gratia speciali.

1291. 7 Septemb. Universis presentes litteras inspecturis frater W. de Gandavo, prior fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini in Ypra, Morinensis dyocesis, totusque ejusdem loci conventus salutem. Noverint universi, quod, quocienscumque predicavimus Ypris, confessiones audivimus seu aliquem vel aliquos recepimus ad ecclesiasticam sepulturam, totum fecimus de consensu religiosorum virorum prepositi et conventus sancti Martini Yprensis ac eorum gratia nobis ab ipsis concessa specialiter et expresse, omni jure dictorum religiosorum integraliter observato in premissis. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, in vigilia nativitatis beate Marie virginis.

Registr. Rubrum, fol. 128.

—

de Saint-Martin. D'après Gams, *Series episcoporum*, Jacques de Boulogne occupa le siége de Térouane de 1287 à 1301. Quant à Robert, élu probablement en septembre 1289, il mourut, dit la *Gallia christiana* (t. V, p. 303), le 9 janvier 1299.

338.

Littera quod J[acobus], episcopus Morinensis, quando ipse fuerat in monasterio nostro per ij. dies, cognovit quod una de dictis duabus diebus non fuit ex debito, sed gratia speciali.

Universis presentes litteras inspecturis J[acobus], Dei gratia Morinensis epi- 1291.
scopus, salutem. Cum nos anno Domini M°. CC°. nonagesimo primo in monasterio 23 Octobre.
sancti Martini Yprensis per duas dies, videlicet vigilia et die pentecostes, fuerimus recepti, notum facimus, quod una de dictis duabus diebus non fuit ex debito, sed ex curialitate dumtaxat et gratia speciali. In cujus rei testimonium sigillum nostrum litteris presentibus est appensum. Datum anno predicto, die martis post festum beati Luce ewangeliste.

Registr. Rubrum, fol. 128.

339.

Littera confraternitatis ecclesie nostre et ecclesie sive conventus beate Marie Boloniensis.

Reverendo in Christo patri ac fratribus in Deo dilectis domino R[oberto], 1291.
Dei gratia preposito sancti Martini Yprensis, totique ejusdem ecclesie devoto Décembre.
conventui L. ejusdem permissione abbas beate Marie Boloniensis, totusque ejusdem loci conventus salutem et orationum mutuarum attolli subsidiis caritatisque vinculis strictius innodari. Considerantes latissimum caritatis gremium non coangustari ex receptione plurium, sed quo plures in se congregat, eo amplius dilatari, secundum illud psalmi : « Latum mandatum tuum nimis, » quod de caritate non ambigimus esse dictum, vos successoresque vestros in nostre recipimus fraternitatis consortium, ad ea, que pro nostre societatis seu fraternitatis fratribus facere consuevimus in vivorum obsequiis, admittentes, volentesque ut ad mortuorum suffragia hec confederatio prorogetur, vobis unanimiter concedimus, ut cum obitus fratrum vestrorum nobis fuerit nunciatus, vigiliam et missam defunctorum in nostro conventu solemniter celebrabimus pro animabus eorumdem, unam prebendam conventualem singulis quadraginta diebus pauperibus erogando, bona fide promittentes nos istam concessionem perpetuo servaturos, vestram caritatem exorantes, quatenus nos successoresque nostros modo consimili fraternitatis vestre collegiis inscribatis, ut mutuis fulti subsidiis, per latum currentes caritatis compendium, illud et faciliter et feliciter mereamur introire regnum, quod Dominus suis fidelibus a mundi origine preparavit. Quod nobis prestet ipse Deus. Amen. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M°. CC°. nonagesimo primo, mense decembri.

Registr. Nigrum, fol. 75.

340.

Littera faciens mentionem que bona nos recipimus pro missa leprosorum celebranda.

1291-92. 3 Avril. Universis presentes litteras visuris R[obertus], divina permissione prepositus sancti Martini Yprensis, totusque ejusdem loci conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos ex parte una, et Aelidis de Hariinghem ex altera, in hec que inferius sunt notata, convenimus, scilicet quod nos prepositus et conventus instituemus et faciemus unam capellaniam in ecclesia beate Marie Magdalene Yprensis, pro qua deservienda dare debebimus domino Johanni de Calais capellano, quamdiu vixerit, singulis annis decem libras parisiensium, et debebit dictus dominus Johannes capellanus qualibet septimana sex missas pro dicta Aelide et pro nobis septimam celebrare vel facere celebrari, nisi impedimento infirmitatis vel alio esset detentus; post decessum vero ejusdem capellani dictam capellaniam per nos vel per capellanum secularem a nobis eligendum tenebimur facere deserviri. Item sciendum est, quod calicem vel ornamenta aliqua dicte capellanie administrare vel invenire ad opus ejusdem non tenebimur. Custodem vero, quandiu dicta Aelidis vixerit, ponere dicte capellanie vel invenire ad opus ejusdem debebimus, et post decessum ipsius Aelidis ex parte ejusdem a nobis solvi debebunt decem libre parisiensium, ad comparandum redditus nomine et ad opus custodis, quem ponere debebimus perpetue, qui eidem capellanie deservire debebit. Et debebimus habere omnes oblationes et escancias in eadem ecclesia venientes. Item dictus capellanus missas suas diebus dominicis et festivis ante horam terciam celebrare debebit, et hoc ea ratione, ne parrochiani dicte ecclesie sive parrochie ad ecclesiam suam venire desinant seu omittant pro preceptis ecclesie audiendis. Et pro premissis, ut dictum est, adimplendis, dicta Aelidis trecentas libras turonensium in bona, sicca et legali pecunia nobis persolvit, quam quidem pecunie summam confitemur in utilitatem ecclesie nostre esse conversam. Et nos omnia et singula premissa, secundum quod superius sunt expressa, dicte Aelidi nos inviolabiliter observaturos et adimpleturos promittimus, renuntiantes, quantum ad premissa et singula premissorum, beneficio restitutionis in integrum, exceptioni non numerate pecunie, doli mali, in factum lesionis et omni juris auxilio, per que premissa et predicta conventio possent imposterum infringi vel modo aliquo infirmari. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, feria quinta post ramos palmarum.

Registr. Nigrum fol. 20 (en vidimus).

Archives de la ville d'Ypres: original portant le sceau du prévôt et celui du chapitre, avec contre-scels; transcription au *Geluwenboek*, fol. 79, et au *Wittenboek*, fol. 169. Diegerick, *Inventaire des chartes de la ville d'Ypres*, t. I, p. 136 (analyse).

341.

Littera controversie sive litis inter nos et predicatores, occasione cujusdam compositionis inter predictas partes super oblationibus ad manus sacerdotum provenientibus in ecclesia dictorum predicatorum.

1292. 1er Sept.

Universis presentes litteras inspecturis R[obertus], permissione divina prepositus sancti Martini Yprensis, ejusdemque loci conventus, ordinis sancti Augustini, Morinensis dyocesis, necnon et frater H. prior fratrum ordinis predicatorum apud Ypram commorantium, eorumdemque fratrum conventus ibidem salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum inter nos hinc et inde orta fuisset discordia, occasione cujusdam compositionis jamdudum facte inter nos et habite super oblationibus ad manus sacerdotum provenientibus in missis in ecclesia nostra, scilicet fratrum predicatores predictorum, celebratis; quam quidem compositionem, nos prior et fratres predicatorum predicti dicebamus esse revocatam et annullatam obtentu cujusdam privilegii, magistro et fratribus nostri ordinis ac nostro ordini a sede apostolica indulti, et super hoc fuisset inter nos diutius altercatum ; tandem concordiam fraternam habere adinvicem cupientes, pro bono pacis et ad parcendum laboribus et expensis utriusque partis, nos R[obertus], prepositus et conventus sancti Martini Yprensis predicti ex una parte, et nos frater H. prior et conventus fratrum predicatorum Yprensium ex altera, super premissis et aliis quibuscumque controversiis usque in hodiernum diem inter nos habitis de proborum consilio concordamus et ad bonam et veram concordiam reducimus amicabiliter in hunc modum : videlicet quod ecclesia sancti Martini Yprensis predicta vel ejus procurator legitimus percipiat et habeat in domo nostra, scilicet fratrum predicatorum Yprensium, terciam partem omnium oblationum devenientium ad manus sacerdotum ad altare, vel in missis, in denariis et candelis, exceptis oblationibus quibuscumque, que fient in novis missis dictorum fratrum, item et que fient in exequiis dictorum fratrum; item et que fient ratione funerum omnium extraneorum non existentium de parochiis Yprensibus; item et exceptis candelis, quas dicti prior et fratres facient fieri de propria cera in die purificationis beate Virginis causa offerendi ; que candele de propria cera predicta facte cum ceteris offerendis, exceptis denariis et candelis aliis, debent cedere usibus prioris et fratrum predicatorum predictorum. Nos vero prior et fratres predicti promittimus et juramus, quod nullam adinveniemus fraudem nec faciemus aliquid vel fieri procurabimus per nos vel per alium sive per alios aperte vel occulte, directe vel indirecte, per quod tercia pars dicte ecclesie sancti Martini debita deterioretur sive quoquo modo in aliquo minuatur; immo eam ipsis preposito et conventui vel eorum certo mandato, dum tamen infra domum nostram eam petierint, integre deliberabimus et reddemus singulis annis, in fine cujuslibet mensis principalis pro rata ipsius mensis; et ad hec nos et successores nostros imposterum

